DE

EVENTU SECTIONIS CÆSAREÆ

DISSERTATIO, QUAM PRO GRADU DOCTORIS IN MEDICINA RITE OBTINENDO PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI MODESTE SUBMITTIT

AUTOR

Carolus Kayser,

LICENTIATUS MEDICINÆ.

DIE 9no OCTOBRIS H. L. Q. S.

HAVNIÆ.

TYPIS EXCUDEBAT BIANCO LUNO.

1841.

Dlssertationem hanc Facultas Medica Havniensis dignam censet, quæ pro gradu Doctoris in Medicina publico examini subjiciatur.

O. L. Bang.

h. a. Dec. Fac. Med.

Qui olim de eventu sectionis Cæsareæ scribere et casus, in quibus adhibita est, conquirere coeperunt, consilium a nostro omnino diversum secuti sunt. Illis enim temporibus viri chirurgiæ et artis obstetriciæ peritissimi doctissimique sectionem Cæsaream desperationis plenam esse existimarunt, ejusque successus, si non plane negarunt, tamquam miracula emirati sunt. Ambrosius Paræus ita dicit: "cæterum non possum satis mirari eos, qui sibi visas mulieres affirmant, quibus non semel novacula abdomen cum subjecto utero rescissum sit ad foetum, nunquam alioqui proditurum, extrahendum. Id enim salva matre fieri posse, nunquam persvadere mihi potui; — — his aliisque causis" (magnitudine vulneris, hæmorrhagia, periculo rupturæ uteri insequentis) "id curationis genus, quod periculi et desperationis plenum est, minime usurpandum censeo" [1]).

Primum igitur eorum, qui tunc sectionis Cæsareæ vel, ut etiam dixerunt, hysterotomotociæ vindices et defensores exstiterunt, officium non erat, probabilem hujus operationis eventum requirere, sed solummodo demonstrare, sectionem Cæsaream tunc nonnisi "a tonsoribus quibusdam paganis usurpatam, idque quam rarissimum, et quod maximum a chirurgis et medicis, qui et doctrinæ et experientiæ nomine celebres habebantur, pro falsa et impossibile habitam") succedere posse.

---

[1]) Opera chirurgica, Francofurthi ad Moenum, 1594. fol. Lib. 23. cap. 31. pag. 689.

[2]) Hysterotomotocia Francisci Rousseti, gallice primum edita, nunc vero opera Caspari Bauhini latine reddita, multis historiis in appendice locupletata. Basileæ 1588. 8vo. pag. 9.

Inter illos autores primum locum tenet Franciscus Rousset, vir doctrina et sagacitate excellens, qui primus in opusculo, laudibus Halleri plane digno "triplici argumentorum genere, experientia nimirum certa, rationibus validis, autoritatibus (si modo haberi possint) certissimis" [1]) contemporaneis persvadére studuit, ut possibili hujus operationis successui fidem haberent et eam in usum vocarent.

Liber ejus 15 casus hujus operationis, quæ in una femina sexies instituta est, omnes optimo cum successu a tonsoribus paganis omnino incognitis institutos continet. Autor ipse operationi nunquam adfuit, quantum ex ipsis observationibus concludi potest, sed illas modo ex relatione aliorum, partim senum quorundam "fide dignorum", partim feminarum sectarum earumque familiæ, partim chirurgorum, qui operationem instituerunt, cognovit et in paucis casibus ipse cicatrices remanentes vidit. In appendice traductioni hujus libri latinæ, ab ipso autore addita [2]), ut refert Simon [3]), adhuc 5 casus testimoniis non melioribus firmatos communicavit.

Etiamsi contemporanei haud magnam hisce historiis, fide quidem non dignissimis, fidem habuerunt, alios tamen ad operationem tentandam exhortatus est liber Rousseti. Guillemeau operationem præsentibus præceptore Ambrosio Paræo aliisque chirurgis experientissimis instituit, sed femina quinto post operationem die obiit et Paræus, Carbonet, Viard, Brunet in aliis casibus haud feliciores fuerunt, ut testatur Marchant [4]).

---

1) Ibidem.

2) Cæsarei partus assertio historica. Parisiis 1590. 8vo.

3) Mémoires de l'Acad. royale de Chirurg. Paris 1749. T. 1. 4to. p. 631.

4) In F. Rousseti apologiam J. Marchant, Regis et Parisiensis chirurgi, declamatio. cfr. Simon l. c. p. 632.

Quinque hæ operationes non succedentes et adhuc tres declamationes, autore Marchant, argumentis et conviciis impletæ, chirurgos et obstetricantes Parisienses contra Rousset et sectionem Cæsaream excitarunt, ita ut ab illis plane rejecta sit. Ab alia vero parte Casparus Bauhinus, Professor celeberrimus Basileensis auxilio venit, qui librum Rousseti in lingvam latinam traduxit, et novis historiis haud melius affirmatis, ab ipso collectis, quarum una sectionis Cæsareæ jam circa annum 1500 a Jacobo Nufer "ὁρχοτομος" institutæ, auxit.

Versus finem igitur seculi decimi sexti quæstio de possibili successu sectionis Cæsareæ virorum doctissimorum disputationibus ardenter agitata fuit, et controversia per seculum insequens continuavit. Alii illam omnino rejecerunt, ut præter jam commemoratos Massarias[1]), qui tres operationes infelices communicavit; alii illam summis laudibus extulerunt, ut Theophilus Raynaud, societatis Jesu theologus[2]), qui novos ejus operationis, sexies in una femina institutæ, casus 13, collegit. (Michaelis[3]) et Simon[4]) haud jure contendunt, illum 9 tantum modo casus collegisse). Ut lector ipse sibi persvadere possit, quam bene affirmati sint hi casus, ultimum exemplum transcribam: "visam sibi Flexiæ apud Andegonos mulierem, quæ se ter cæsam salvo foetu profiteretur, narravit homo de societate nostra, qui chirurgum in seculo egit, et rem esse extra dubium sancte confirmavit." Mihi quidem vix sufficit sancta venerandi hujus fratris confirmatio. Operatio tamen

---

1) De morbis mulierum, Lipsiæ 1600. 8vo; cfr. Sprengel: Geschichte der Chirurgie, 1ster Theil, Halle 1805. p. 396.

2) De ortu infantium contra naturam per sectionem Cæsaream etc. Lugduni 1637. 8vo.

3) Abhandlungen aus dem Gebiete der Geburtshülfe. Kiel 1833, 8vo. p. 38.

4) l. c. T. 1. p. 637.

haud admodum frequenter[1]) instituta esse videtur; nam et rara modo apud autores exempla inveniuntur, et quæstio ipsa indecisa usque ad medium seculum prius remansit, quod vix fieri potuisset, si operatio sæpe in usum vocata fuisset. Mauriceau ita adhuc anno 1721 hisce verbis de hac operatione loquitur: "si on examinerait bien l'origine de toutes les histoires qu'on fait touchant cette opération... on trouverait toujours, que ce sont pures fables, et que celles, que nous rapporte le dit Rousset, n'en ont eu d'autre, que la rêverie, le caprice et l'imposture de leurs auteurs"[2]).

Versus medium seculum prius Simon, socius academiæ

---

[1]) Cum de frequentia operationis illis temporibus disseram, non possum quin verum sensum verborum cujusdam Giralomo Mercurii vulgo Scipionis Mercurii nominati, in "la commare oriccoglitrice", Venetiæ 1601. 4to. p. 192, restituam. Autores doctissimi Heister (Chir. pars 2. Sect. 5, cap. 113. § 15), Simon (l. c. T. I. p. 636), Sprengel (l. c. p. 384), Rust (Handb. d. Chir. Bd. 9. Berlin 1833, 8vo p. 445), Kilian (Die operat. Geburtshülfe. Bonn 1834, 2ter Th. p. 790) illum ita intellexerunt, ac si dixisset, sectionem Cæsaream in Gallia æque esse usitatam ac in Italia venæsectionem pedis contra cephalalgiam, quod omnino falsum est. Postquam narravit, sese in Gallia haud procul Tolosa duas feminas vidisse, quibus foetus vivi ex abdomine exsecti fuerunt, quarum altera postea naturæ ope feliciter peperit, adjicit: "questo so io chiaramente, perche ho veduto le cicatrici nei lati del ventre longhe mezzo piede, e questa attione è cosi nota per quei paesi come in Italia il cavare sangue nella doglia di testa." Hull (A defense of the Cæsarean Operation. Manchester 1798. 8vo. p. 55) et Schweighäuser (Archives de l'art des accouchemens. T. 1ier. an 9 (1801). Strasbourg. 8vo. p. 229 nota) credunt, verba ejus hunc sensum habere, sectionem Cæsaream æque cognitam esse in Gallia ac venæsectionem pedis contra cephalalgiam in Italia. Ex verbis ejus vero manifeste apparet, sententiam fuisse, hoc factum, operationem in illis feminis institutam fuisse, incolis ejus loci æque cognitum fuisse ac venæ sectionem etc.

[2]) Traité des maladies des femmes grosses, sixième édition. Paris 1721. 4to. p. 356.

chirurgiæ Parisiensis disquisitiones instituit, ut hanc operationem succedere posse demonstraret. "J'ai cru", dicit, "que ce travail ne serait pas inutile, parceque la plûpart des chirurgiens paraissent douter encôre aujourdhui peu de la possibilité de cette opération".

Simon in hac dissertatione omnes casus a Rousset, Bauhino, Raynaud et aliis allatos collegit, et cæterum ipse 15 casus academiæ chirurgiæ et unum academiæ scientiarum communicatos, quibus omnibus matres superstites fuerunt, publici juris fecit. Plurimi horum, uno excepto, in quo operatio præsentibus et annuentibus multis chirurgis experientissimis et celeberrimis anno 1740 Parisiis a Soumain instituta est, haud multo majore certitudine gaudent, quam quos Rousset cæterique sectionis Cæsareæ apologeti attulerunt. Simon ipse nulli operationi adfuit. Unus casus a femina secta illi communicatus est, quæ ipsa hanc operationem postulaverat, quia "elle avait entendu que les femmes de qualité accouchaient de cette manière." Chirurgus "étonné de cette demande et n'ayant d'ailleurs jamais entendu parler de cette façon d'accoucher," primum operationem recusavit, sed dein illam suscepit. Mater vixit[1]). Alii academiæ a chirurgis, quibus tales historiæ relatæ erant, et qui interdum feminas vel etiam cicatrices viderant, communicati sunt. Duo casus, ut exemplum afferam, modo hisce verbis commemorati sunt: "M. Cabani a vu à Givet une femme de cinquante ans, à qui on a fait deux fois cette opération"[2]). Nihil igitur video, quare Illustr. Sprengel et Doct. Michaelis, qui omnes casus a Rousset, Bauhino, Raynaud et omnino plurimos ante Simonem allatos omittunt, hos ut veros accipiant. Illa fides, quæ Simoni attribuenda

---

1) l. c. T. 1. p. 640.

2) l. c. T. 2. p. 308.

est, a sagacitate critica, quam ille in vero indagando adhibuit, dependet, sed cum ille nulla insignia sagacitatis specimina in hoc examine dederit, et sine ulla dubitatione omnes casus a Rousset cæterisque allatos accipiat, et critica igitur ab illis adhibita ei sufficere videatur, non intelligo, quare ei magis confidendum sit, quam illis. Imprimis mihi plane obscurum est, quo jure et Michaelis et Sprengel casum academiæ scientiarum ab Helvetio communicatum [1]) omittunt, dum alios casus nulla ratione melius affirmatos academiæ chirurgorum communicatos accipiunt?

Si seriem annorum post annum 1500, quo Nufer primus sectionem Cæsaream instituit, usque ad annum 1749, quo Simon suas disquisitiones terminavit, uno quasi obtutu complectimur, facile apparet, varios scriptores, qui possibilem sectionis Cæsareæ successum demonstrare sibi proposuerint, scopum attigisse. Post editionem tractatus Simonis, autores rarissime successum hujus operationis, quem antea multi haud possibilem habuerunt, negarunt, excepto quidem isto Sacombe similibusque, qui rerum novarum in arte obstetricia studiosi, omnes casus felices negarunt, et operationem omnino nunquam necessariam habuerunt; tales vero assertiones nec experientia nec argumentatione sana nisæ refutatione indignæ sunt.

Nobis alius labor restat. Sectionem Cæsaream succedere posse probatum est, sed quantum spei successus confidendum est? sub quibus conditionibus præsertim expectanda est? ecce quæstiones a veteribus vix attactas, summi tamen ad veram hujus operationis utilitatem constituendam momenti. Quid enim juvat scire, operationem succedere posse, si nescis, quoties et sub quibus conditionibus haud succedat? Nostrum est, veram inter casus felices et infelices rationem in lucem pro-

---

[1]) Mém. de l'acad. de chirurg. etc. T. I. p. 643.

ferre, et, quantum fieri potest, illas causas indagare, quæ præsertim operationem periculosam reddunt.

Verba illa celebria, a Morgagni primum edicta, postea sæpius repetita: "*nulla est alia pro certo noscendi via, nisi quam plurimas et morborum et dissectionum historias, tum aliorum, tum proprias, collectas habere et inter se comparare*" hic omnino valent; experientia consulenda est, et cum sectio Cæsarea operatio sit rarior, nostrum tempus haud sufficit, sed etiam ad tempora jam diu præterlapsa recurrendum est.

Commixte adhiberi omnes casus non possunt; primum, quantum fieri potest, observationes bene affirmatæ esse debent, quia alias finis disquisitionis plane pervertitur; dein diligenter et complete notatæ esse debent, alias enim modo eventum generalem operationis in lucem proferunt, illas vero res, quæ eum effecerunt, non clariores reddunt, quarum tamen rerum cognitio gravissimi est momenti ad verum hujus operationis valorem constituendum. Admodum verosimile videtur, spem successus omnino aliam esse et matri et foetui, si operatio initio partus, aquis nondum profusis, membranis integris, matre nondum doloribus exhausta, foetu nondum perturbatione circuitus sangvinis vexato, instituatur, aliam si partus jam per multos dies duraverit, matre et foetu doloribus vehementissimis et forsan etiam rudibus obstetricantium conatibus vexatis. Sed quænam est vera differentia? Hoc tantummodo diligenti et sagaci omnium hucusque cognitorum et vel omnibus vel saltem nonnullis elementis huc spectantibus instructorum casuum cognitione apparere potest, quare etiam observationes, talibus elementis destitutæ, huic rei nulli usui sunt.

Minime vero ad verum hujus operationis eventum in lucem proferendum sufficit casuum bene confirmatorum et diligenter descriptorum collectio, nisi omnes casus et felices et infelices eadem diligentia et eadem severitate collecti sunt;

nam si exempli causa ille, qui talem disquisitionem instituit, vel ob majus alterius partis studium vel ob incuriam vel ob difficultatem omnes casus colligendi plures casus sive felices sive infelices omiserit, finis hujus disquisitionis omnino vitiatur. Quid quod collectioni, etiam quam severissime institutæ, fortasse non omnino confidendum est, quia quam maxime timendum est, ne multi casus felices et plures etiam infelices ab autoribus nunquam descripti sint, et ideo in computationem venire non possint.

Illud temporis spatium donec Simon suam collectionem publici juris fecit, de qua antea disputavimus, omnia hæc vitia præbet; casus nec bene affirmati nec diligenter descripti sunt; compilatores dein præsertim id studuerunt, ut possibilem eventum felicem probarent, et hanc ob rem modo casus felices conquisiverunt. Ab altera vero parte sine dubio multi casus infelices oblivioni traditi sunt, quod non adeo factum fuisset, si adversarii sectionis Cæsareæ eodem studio casus infelices collegissent, quo Rousset, Bauhinus, Raynaud et Simon casus felices. Exstant quidem ex illo tempore 13 casus infelices, qui sat affirmati habendi sunt, cum plurimi ab ipsis autoribus descripti sint, et cum multo difficilius sit exitum infaustum mentiri, quam successum operationis credere. Sed hic numerus copia casuum felicium multo inferior est.

Si inde cum Klein[1]) concluseris, operationem tunc feminis feliciorem fuisse quam nostris temporibus, sine dubio omnino errabis, quia vix dubitandum est, quin multo plures casus infelices acciderint, quam ab autoribus allati sunt, sed mors, eventus verosimilis hujus operationis animos non adeo capere potuit, dum e contrario sanatio, miraculi instar, cito

---

[1]) Loders Journ. für Chir. u. Geburtshülfe. Bd. 2. Jena 1799, 8vo. p. 760.

divulgata est, et partim e traditione in libros venit. Ob varias hasce rationes mihi satis superque demonstratum videtur, nos ad finem omnino falsum pervenire, si omnes casus illis temporibus allatos accipiamus. Veritati vix propius accederemus, si omnes casus, qui certitudine carent, rejiciamus, quia tunc plurimi, si non omnes, casus felices omittendi essent, ita ut infelices tantummodo restarent.

Varii autores qui postea e collectionibus casuum, in quibus sectio Cæsarea instituta fuit, eventum hujus operationis in lucem proferre studuerunt, vario modo processerunt. Baudelocque collectionem instituit [1]), illorum vero tantummodo casuum, uno excepto, qui post annum 1750 evenerunt, de quorum certitudine in universum vix dubitandum est. Collectio cæterum adeo incompleta est, ut elementum tantum collectionis habenda sit; infra uberius de illa disputabimus. Hull anno 1801 hanc dissertationem in lingvam anglicam traduxit et multis casibus locupletavit. Hunc librum mihi procurare non potui, sed ex fine ad quem pervenit [2]), casus 231, quorum 139 felices collegit, patet, illum omnes casus ab autoribus antiquioribus allatos pro veris certisque accepisse. Klein [3]) modo collectionem a se institutam commemorat, singulos vero casus tacet, quare nihil de hujus collectionis indole dici potest; ex fine tamen, ad quem pervenit (ab anno 1500 usque ad 1772 casus 82 collegit, quorum modo sex infelices, ab anno 1772 usque ad 1799 casus felices 14, et infelices 20) patet illum in hac disquisitione nec assiduitate nec critica sagaci usum

---

[1]) Recueil périod. de la société de méd. de Paris. T. 5. 8vo. p. 54 seqq.

[2]) The Principles of Midwifery, by John Burns, ninth edition. London 1838, 8vo, p. 509. nota.

[3]) l. c. p. 760.

esse. Nettmann[1]) severius egit, finis vero, ad quem pervenit, minime accipi potest, cum ille usque ad annum 1805 modo casus 68 habeat, quod quam sit falsum, postea apparebit. Wanner[2]) casus sectionis Cæsareæ inter annos 1801—25 conquirere studuit, et 50 casus, quorum 30 infelices, collegit. Librum mihi procurare non potui, sed ex judicio Michaelis adeo est mancus et erroneus, ut nullius fere usus sit.

Michaelis paucis adhinc annis majore doctrina et assiduitate collectionem casuum sectionis Cæsareæ instituit. Quoad seculum prius collectionem a Sprengel factam partim ita transscripsit[3]), ut etiam errores, quos commisit illustrissimus ille autor, religiose conservaverit[4]), partim collectione a Baudelocque instituta aliisque observationibus locupletavit. Alios casus ex illo tempore attulit, alios quavis ratione fide dignissimos omisit. Iidem casus interdum bis commemorantur, ut ita duplicem locum in computatione teneant, quid quod interdum iidem casus, et ex eadem quidem autoritate et inter casus felices et infelices afferuntur, et alii huc omnino non pertinentes, in quibus vel gastrotomia vel gastro-hysterotomia in feminis mortuis instituta est, etiam in computationem veniunt. Præter hæc vitia, imprimis ad seculum prius pertinentia, quibus respectu critico laborat hæc collectio, etiam divisio et tota dispositio reprehendenda esse videtur. Ille suam collectionem in duas partes principales divisit, unam, quæ prius seculum, et secundam, quæ hoc seculum comprehendit, quœ divisio vere singularis habenda est, cum initium hujus seculi

---

[1]) Dissertatio sistens sectionis Cæsareæ historiam. Halæ 1805. 8vo. cfr. Osiander: Handb. d. Entbindungsk. Bd. 2. Abtheil. 2. Göttingen 1820, 8vo. p. 388, unde hic libellus mihi modo cognitus est.

[2]) Dissertatio adnotationes ad sect. Cæsaream sistens. Tüb. 1825.

[3]) Abhandl. aus d. Geb. d. Geburtsh. Kiel 1833. 8vo. p. 34 seqq.

[4]) Geschichte d. Chir. 1ster Theil. Halle 1805. 8vo. p. 381.

nulla ratione neque ad eventum neque ad historiam sectionis Cæsareæ tanti sit, ut fundamentum divisionis præbeat. Si hoc respectu distinctio inter varia tempora facienda est, quod me judice summæ utilitatis est, duæ periodi constituendæ sunt, quarum altera temporis spatium ante annum 1749, quo Simon suam dissertationem edidit, comprehendere debet, altera vero tempus recens ab anno 1750 usque ad nos.

Dissertatio enim Simonis vere novam æram in historia sectionis Cæsareæ constituit, quia is et ultimus est compilator, qui rem modo ab una parte spectavit et solos felices casus collegit, et manifeste demonstravit, sectionem Cæsaream succedere posse, quod autores etiam posteriores rarissime modo negarunt. Si Michaelis tantum ex tempore post annum 1749 casus ex singulis seculis separatim attulisset, res nullius boni, sed etiam nullius mali esset, quia finem computationis minime pervertisset, sed observationes ex hoc seculo multo majore diligentia, et, quantum potuit, completas attulit, ex priore vero adeo mancas, ut solum operationis eventum contineant, quod mihi vituperandum esse videtur, cum, qui ex illo seculo casus bene descripti exstant, nulla ratione cedant iis, qui ex hoc seculo afferuntur.

Aliam divisionem non minus singularem fecit, operationes in Anglia factas, ab illis, quæ in reliquo terrarum orbe institutæ sunt, separans, et hoc quidem non ob rationes climaticas; sed quia obstetricantes Angli in universum multo minus prompti sunt ad hanc operationem instituendam, quam plurimi Galli et Germani, et eam ex ejus sententia fere non nisi in casibus summe desperatis suscipiant. Minime vero obliviscendum est, quod Michaelis quidem oblitus est, non omnes obstetricantes Anglos adeo vitiose agere, nec omnes Germanos et Gallos etc. hoc vitio carere. Casus enim in quibus operatio 16 horas

post rupturam membranorum instituta est[1], vel 36[1] horas post initium partus, nullis conatibus partum aliis artis adminiculis perficiendi antea factis, ideo tantum rejecit, quia in Anglia institutæ sunt, dum casus in quibus versio instituta est, et capite inclavato haud sequente, applicatione forcipis et perforatorii a tribus obstetricantibus incassum tentata, sectio Cæsarea primum in usum vocata est[3], similesque recepit, quia in Gallia vel Germania acciderunt. Hoc retinendum est, artem medicam non adeo limitibus geographicis circumscriptam esse, ut alia sit in aliis terris; facta accipienda sunt, quocunque in loco accidunt, et divisio, si constituenda est, ex eorum indole pendere debet. Ipse Michaelis, quod quidem summe mirandum est, casus Anglicos tantummodo ex hoc seculo excludit; ex priore nonnullos affert, quos in computationem mittere minime dubitat; num igitur annus 1800 ad eventum sectionis Cæsareæ in Anglia tanti fuit, ut operationes antea institutæ accipi possint, posteriores vero non?

Omnia hæc vitia sine dubio ejus indolis habenda sunt, ut finis, ad quem pervenit Michaelis, pro vero accipi non possit. Ipsa collectio cæterum nec omnia, quæ nobis opus sunt, respicit. Collectio enim statistica eorum casuum, in quibns sectio Cæsarea instituta est, nostris temporibus non id tantummodo respicere debet, ut eventus hujus operationis in lucem proferatur, sed etiam ut major lux iis rebus affundatur, quæ in eventum operationis vim præcipuam exerceant. Ut hoc obtineri possit, minime observationes, quam maxime succinctæ, vel, ut verius dicam, quæ solum eventum continent, sufficiunt, sed opus est observationibus, quæ, quantum fieri potest, expletæ et perfectæ sunt. Collectio, quam fecit Michaelis ca-

---

1) Michaelis l. c. p. 136. obs. 1

2) Ibidem p. 137. obs. 2.

3) Ibidem p. 126. obs. 43.

suum ex priore seculo, illo vitio quam maxime laborat, et etiam ex hoc seculo non omnes casus satis diligenter communicati sunt.

Doctissimus Levy collectionem, quam incepit Michaelis, accepit et multis operationibus annis 1833—39 excl. factis locupletavit [1]), cum vero tantummodo eventum casuum singulorum attulit, ejus collectio consilio nobis proposito minime respondet, quare etiam collectionem reprehendendam esse censuimus.

Ob has rationes me operis pretium facturum esse credidi, si ab anno 1750 initium faciens collectiones anteriores corrigerem, et locupletarem. Omnes vero, etiam quos satis diligenter attulit Michaelis, casus recepi, ne hic liber mancus esset, neve Lector illam collectionem consulere cogeretur. Nonnullos casus, quorum eventus mihi non cognitus est, vel qui inter casus sectionis Cæsareæ simplicis ob varias rationes non numerandi sunt, in ipsam collectionem non admisi, sed, ne confusio oriretur, postea adjeci.

Seculi prioris casus referens initium a collectione illustrissimi Baudelocque faciam, quam Michaelis, nonnullis casibus omissis, transscripsit. De observationibus, ex quibus constat hæc collectio, omnibus admodum succincte relatis, Illustr. autor ipse dicit: "quelques-unes des observations, que nous annonçons, ont été publiées par leurs auteurs, d'autres sont consignées dans des ouvrages périodiques, mais le plus grand nombre ont été communiquées à l'académie de chirurgie ou réservées dans le porte-feuille de plusieurs de ses membres." Collectio hæc non omnibus rationibus seqvenda est. Nulla est ita causa cur Baudelocque sequeremur in illa ejus collectionis parte, quam ipse ex ephemeridibus et operibus medicis, quorum adi-

---

[1]) Om Collisionen mellem Kaisersnit og Perforation. Kjöbenhavn. 1840. 8vo.

tus etiam nobis patet, hausit. Hos casus infra magis completas ex ipis autoribus afferemus. Primum igitur ex casibus 94, quos contulit Baudelocque, (ipse sine jure numerum casuum allatorum 93 esse dicit, quorum 37 matribus felices et 56 infelices, re vera habet casus 94, quod quicunque collectionem ejus percensere volet, facile sibi persvadebit), quorum 37 felices et 57 infelices, ejiciendi sunt casus, et alias sive ab ipsis operatoribus sive ab aliis amplius descripti vel melius affirmati; deinde etiam ii, qui non sectionem Cæsaream sed gastrotomiam, operationem omnino aliam, respiciunt, et præterea qui tali incertitudine laborant, ut vix accipi possint, ita exempli gratia casus 5 felices, de quibus ipse Baudelocque dicit: "Si l'on se permettoit d'ajouter à ce tableau les cinq autres faits annoncés comme certains à l'académie de chirurgie par Warrocquier et Médérer" etc. Præterea observatio una (p. 77) rejicienda est, quia operatio ante annum 1750 instituta est.

Hisce restrictionibus factis, restant tantum casus felices 12, in quibus operatio a Caqué, Beaujeu, Arondeau, Vermond, Millot, Dufrechou, Flouard, Warrocquier, Favereau, Lefranc et bis a Sock instituta est, 33 casus infelices, in quibus operatio a Paret, Ledoc, Ravenet, Vermond, Cosme d'Angerville, Vimar, Clériau, Bonnard, bis a Warrocquier, bis a Moreau, bis a Baudelocque, quater ab A. Dubois, a Lauverjat, Desgranges, Danvers, Gilbert, a chirurgo, cujus nomen non cognitum est, a Dessault, bis a Pelletan, a Camper, et a chirurgo in Lyon et præterea quater a Tenon et semel a Pelletan, qui ultimi 5 casus a Michaeli omissi sunt. Sors infantum in 19 casibus allata est. In casibus matribus felicibus 14 vixerunt, 1 obiit: in casibus infelicibus 3 vixerunt, 1 obiit.

Jam ad casus, qui apud varios autores dispersi inveniuntur describendos transgrediamur.

a. Casus felices.

1—12 juxta Baudelocque nuperrime allati sunt.

13. 1752. Simon affirmat, sese vidisse feminam, quæ prima ætate admodum rhachitica fuerat, et cujus pelvis admodum distorta erat, in qua Bruyrette operationem cum successu institutit [1]). Ex relatione, quam de eodem casu fecit Colombier [2]) constat hanc operationem anno allato institutam esse.

14. 1769. Femina Æthiops Jamaicensis in se ipsa cultro laniario sectionem Cæsaream instituit. Infans proprio motu ex utero exiit. Obstetrix Æthiops funiculum disscidit, funiculum et intestina prolapsa reposuit et vulnus consuit, chirurgus vero postea suturam divisit, et placentam per vulnus extraxit. Femina post sex hebdomades sanata est [3]).

15. 1769. Le Bas in femina jam per quatuor dies parturiente, antea quinquies feliciter enixa, pluribus conatibus versionis instituendæ ab alio obstetricante frustra tentatis, infante mortuo et brachio prolapso abscisso operationem Cæsaream instituit. Novacula incisionem fere transversam supra umbilicum instituit, sed cute transcissa, eam nimis alto factam esse intellexit, et incisionem aliam magis obliquam infra umbilicum instituit. Sub operatione nulla complicatio adfuit. Post 2 menses omnino sanata est [4]).

16. 1768. Griffon sectionem Cæsaream instituit. Mater et infans superstites restiterunt [5]).

---

[1]) Mém. de la société de méd. de Paris 1777—78. 4to. p. 241.

[2]) Mém. de l'acad. royale de chir. T. 2. Paris 1769. 4to. p. 308. nota (Mich. p. 107. obs. 19).

[3]) Hull: a defence of the Cesarean Operation etc. Manchester 1798. p. 78. ex Moseley: on Tropical diseases etc. p. 98. (A. Mich. omissus.)

[4]) Journ. de Méd. de Paris. T. 34. 1770. 8vo. p. 177. (Mich. p. 110. obs. 62.)

[5]) N. Ansiaux: clinique chirurgicale. Lièges et Paris 1816 cfr. Meissner: Forschung. d. neunzehnt. Jahrhund. etc. 1ster Th. Leipzig 1826. 8vo. p. 249. (Mich. p. 108. obs. 40.)

17. 1772. Chirurgus in Attichi sectionem Cæsaream in femina postea naturæ ope feliciter enixa, infante jam mortuo et matre in summo periculo, per octo horas ab obstetrice pagana molestata et a duobus chirurgis æque male habita, incisione transversali in latere dextro instituit. Post 5 hebdomades sanata est[1]).

18. 1777. Sommer Brunsvigiæ sectionem Cæsaream instituit et gemellos, quorum unus vivus fuit, extraxit. Mater sanata est[2]).

19. 1778. Chabroi in femina admodum parva, annos 28 nata, per duos dies dolores ad partum perpessa, liquore Amnios initio partus effuso, funiculo prolapso et cubito sese præbente, postquam Hennequin frustra manum in uterum introducere ut foetum converteret, studuerat, incisione in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream perfecit. Hæmorrhagia erat levis-

---

1) Delcurue: Anmerk. über d. Kaiserschnitt, übers. in Samml. d. auserles. u. neuest. Abhdl. für Wundärzte. Leipzig 1780. 8vo. p. 7. 5tes Stück. Cfr. Lauverjat: Neue Method. den Kaiserschnitt zu machen etc. p. 205. (Mich. p 110. obs. 53.)

2) Michaelis, qui Sprengel sequitur, hunc casum bis affert, et inter felices (p. 107. obs. 25) juxta "Gazette salutaire" 1777, quam autoritatem etiam Meckel (Baudelocque: Anleitung zur Entbindungsk. Uebers. von Meckel. Leipzig 1794. 8vo. p. 312. nota) sequitur, et inter infelices (p. 76. obs. 31) juxta: "Sommer: Geschichte einer Kaiserzwillingsgeburt, Leipzig 1788." Baudelocque eandem autoritatem sequens (Recueil périodique etc. T. 5.) affert, hunc casum 1777 accidisse, et utrumque infantem servatum esse, matrem vero quarto die obiisse. De hoc vix dubitari potest, quin utraque autoritas eundem casum afferat, cum in utraque, eundem obstetricantem eodem anno et in eadem urbe operationem instituisse et gemellos extraxisse, dicitur. Casum felicem fuisse verosimile videtur, cum et Baudelocque et Meckel ex diversa autoritate hoc afferunt. Schweighäuser etiam (Archives de l'art des accouchemens, T. 1. Strasbourg an 9 (1801) 8vo. p. 255.) juxta "Gazette des Deux-Ponts" 1777. hunc casum felicem fuisse affirmat.

sima. Infans solito major mortuus erat. Omentum prolapsum omnino reductum est. Post 7 hebdomades mater omnino restituta est [1]).

20. 1778. Deleurye in femina, cui ante annum infantem mortuum ob angustiam pelvis rhachitide deformis perforaverat, per 22 fere horas dolores ad partum perpessa, aqua fere ante 17 horas effusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia haud gravis erat. Infans vivus extractus est. Femina post 4 hebdomades restituta est [2]).

21. 1778. Winter in femina annos 30 nata, ter antea difficulter infantibus mortuis enixa, jam per 30 horas dolores ad partum vehementes perpessa, aqua effusa, incisione in regione iliaca dextra, sectionem Cæsaream instituit. Infans, cujus caput in pelvi inclavatum erat, admodum difficulter extractus, initio asphycticus, vixit. Mater in nona post operationem hebdomade omnino restituta est [3]).

22. 1782. Brand Lugduni Batavorum in femina, quæ ob angustiam pelvis foetum edere non potuit, incisione in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Ex inci-

---

1) Histoire de la société de méd. de Paris. T. 2. 1777—78. 4to. p. 236; cfr. Deleurye: Anm. über d. Kaiserschnitt in Samml. etc. 5tes Stück. Leipzig 1780. 8vo. p. 49. Michaelis hunc casum bis affert, et sub nomine Chabrol (p. 107 obs. 24), Deleurye sequens, et Hennequin (p. 107 obs. 26). Hunc errorem minus facile evitare potuit, cum Hennequin l. c., haud nomen operatoris afferat, ut sat verosimile videri possit, illum operationem instituisse, sed Chabrol (Hist. de la sociét. de méd. etc. T. 3. p. 267) relationem a Hennequin factam emendavit et sibi operationem vindicavit, ita ut extra dubium sit, Hennequin hanc operationem non instituisse.

2) Deleurye l. c. p. 30. (Mich. 107. obs. 23.)

3) Mohrenheim: Wienerische Beiträge. Wien 1781. 8vo. p. 391. Michaelis (p. 108. obs. 32) haud jure affert, operationem a Leber institutam esse, qui historiam a Winter communicatam publici juris fecit.

sione placentæ hæmorrhagia gravis exorta est. Infans vivus extractus est. Femina post 2 menses omnino sanata, iterum gravida abortum edidit [1]).

23. 1782. Lauverjat in femina, prima ætate rhachitide admodum affecta, antea semel difficilime enixa, cui diameter conjugata introitus pelvis $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, incisione transversa sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia erat levis. Infans vivus facile extractus est. Mater post mensem sanata est [2]).

24. 1784 (88?) Stark in femina bis antea, prima vice ope versionis et secunda ope perforationis, difficilime enixa, per nonnullas modo horas dolores ad partum perpessa, cui pelvis et prava confirmatione et tumore osseo coarctata erat, incisione

---

1) Meckel (Anleit. zur Entbindungsk. v. Baudelocque, übers. etc. p. 310. nota) et Michaelis, qui Sprengel sequitur (p. 107. obs. 29 et 30) autore Michel (Abhdl. über die Schaambeintrennung, übers. v. Ludvig. Leipzig 1784. 8vo p. 219 et 221) duas operationes a Brand factas commemorant. Si vero accuratius utramque observationem a Michel communicatam comparaveris et verba ejus de posteriore: "eine andere Beobachtung von *dieser* Operation," et de utraque observatione: "aus *dieser* Beobachtung erhellt, dass der Kaiserschnitt ein unschädliches und heilsames Mittel gewesen ist" bene perpenderis, sine dubio verosimile tibi videbitur, utramque observationem unum tantum casum respicere, quod manifestius apparet ex illis, quæ apud alios autores inveniuntur. Van Leeuwen (in dissertatione: de artis obstetriciæ hodiernorum præ veterum præstantia etc. Lugduni Batavorum 4to. 1783. cfr. Schlegel: Sylloge operum minorum ad artem obstetriciam pertinentium etc. T. 1. Lipsiæ 1795. 8vo. p. 179) unam tantum operationem a Brand factam commemorat, etiamsi in eadem urbe vitam degens, anno post operationem factam scribens vix secundam operationem ignorare potuisset. Fischer (Richters chirurg. Bibliothek. Bd. 7. Göttingen 1784. p. 768) Lugduni Batavorum peregrinans operam dedit, ut se de hoc casu certiorem redderet, quod etiam illi contigit, sed ne verbo quidem alius operationis mentionem facit. Hisce rationibus commotus unam modo operationem a Brand factam commemoravi.

2) Lauverjats neue Methode den Kaiserschnitt zu machen etc. übers. v. Eysold. Leipzig 1790. 8vo. p. 206. (Mich. p. 108. obs. 33.)

in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus sat facile extractus est. Post 2 fere menses femina omnino sanata est[1]).

25. 1787. Lauverjat in femina, ante duos annos perforationis ope enixa, cujus pelvis coarctatior æstimata est, quam ut naturæ ope infantem vivum parere posset, capite cum manu et funiculo sese præbente, aqua jam effusa, incisione transversa sectionem Cæsaream instituit. Infans, ut videtur, vivus facile extractus est. Mater 5 hebdomadibus præterlapsis omnino sanata est[2]).

26. 1788 (?). Champenois in femina in partu priore adeo male habita, ut vagina in tota sua longitudine concreta esset, ita ut modo canalis in amplitudinem 3—4 lineareum restaret, et pelvis callositatibus impleta esset, 36 horis post initium partus præterlapsis, organis genitalibus adeo dolentibus, ut attactum vix sufferrent, sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia erat levis. Mater et infans servati sunt[3]).

27. 1792. Wrabez in femina antea semel admodum difficulter enixa, membranis ante 13 horas sine doloribus ruptis, ob coarctationem pelvis sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Mater die 17mo optime sese habuit, vulnus ad extensionem 2 pollicum diminutum erat, ut sanatio completa intra breve temporis spatium sperari posset[4]). Sanatione jam adeo progressa, hunc casum etiamsi eventus non omnino certus est, inter casus felices numerare ausus sum.

---

1) Stark: Zweite tabellar. Uebersicht d. clin. Instit. zu Jena 1784. 4to; cfr. Richters chirurg. Bibl. Bd. 8. Göttingen 1785. p. 226. (Mich. p. 107. obs. 31.)

2) l. c. p. 220. (Mich. p. 110. obs. 57.)

3) Hufeland: Annal. d. franz. Heilkunde. Bd. 1. Leipzig 1791. 8vo. p. 424. (Mich. p. 108. obs. 34.)

4) Melitsch in Starks Archiv f. Geburtsh. etc. Bd. 4. Jena 1792. 8vo. p. 769. (Hic casus a Mich. non commemoratur.)

28. 1793. Haudry et Verdier in femina jam per 7 vel 8 dies dolores ad partum perpessa, diametro conjugata introitus pelvis, ut videbatur, haud 2 pollices excedente, incisione 9 pollices longa in linea alba sectionem Cæsaream instituerunt. Infans vixit. Femina in sanitatem restituta est[1]).

29. 1794. Haudry et Verdier in femina jam per 7 dies parturiente, cujus diameter conjugata 1 pollicis et 10 linearum æstimata est, in nosocomium, quod est in urbe "Nogent" recepta, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituerunt. Infans vixit; mater post 4 hebdomades omnino sanata est[2])

30. 1796. Rhode in femina, annos 18 nata, mediocri statura et forti sanaque constitutione, diametro conjugata superiore $2\frac{1}{4}$ poll. metiente, jam per triduum parturiente, applicatione forcipis frustra tentata, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Pars intestinorum prolapsa est. Infans jam putrefactus erat. Post 6 fere hebdomades femina omnino sanata est[3]). Michaelis, qui aliam relationem sequitur[4]), perforationem tentatam esse dicit, et diametrum conjugatam 2 modo pollices metiri, quod a relatione, quam fecit ipse Rhode discrepat. Hæc femina iterum gravida anno 1810, ob rupturam uteri, gastrotomiam[5]) a Sommer institutam feliciter sustinuit.

31. 1797 (l'an 5). Bacqua in femina, cujus crus sinistrum incurvatum erat, cæterum bene conformata, ter antea ope

---

1) Baudelocque in Recueil périod. de la soc. de méd. etc. T. 9. p. 389. (Mich. p. 111. obs. 59.)

2) Ibidem. (Mich. p. 112. obs. 70.)

3) Rhode: relatio de sect. Cæsar. feliciter peracta. Dorpati 1803. 4to. (Mich. p. 51. obs. 3. et p. 108. obs. 35.)

4) Kurzwig in Loders Journ. f. Chir. etc. Bd. 2. Jena 1800. p. 733.

5) Mich. p. 51. ex Russische Sammlung für Naturwissenschaft und Heilkunst von Chrichton. Bd. 1. 1817.

perforationis et uncorum enixa, diametro conjugata introitus pelvis $2\frac{1}{2}$ poll. æstimata et parte sinistra hujus aperturæ magis etiam coarctata, incisione in linea alba operationem instituit. Tempus post initium partus præterlapsum non notatum est, sed aqua jam profluere inceperat. Hæmorrhagia gravis post extractionem infantis vivi tandem sedata est. Femina sanata est. Infans post 12 dies obiit [1]).

32. 1797. Mangold sectionem Cæsaream in femina postea (obs. 39) uberius commemoranda instituit. Infans mortuus erat; mater vixit [2]).

33. 1798. Poumel in femina contorta, cæterum robusta, jam per plures dies parturiente, capite foetus cum uno brachio in pelvi inclavato, usum forcipis inutilem et perforatorii inhumanum censens, adjuvantibus fere privatus novacula, incisionem in medio abdomine instituit, uterum aperuit, et infantem mortuum extraxit. Femina duobus mensibus nondum præterlapsis in sanitatem restituta est [3]).

34. Cessa, chirurgus in Pomponesco prope Mediolanum, sectionem Cæsaream in primipara instituit, quæ post 6 hebdomades sanata est [4]).

35. Pénard in femina, quam mortuam censuit, sectionem Cæsaream cum novacula instituit. Femina sub operatione

---

[1]) Recueil. périod. de la soc. de méd. etc. T. 4. p. 434. (Mich. p. 108. obs. 36. et p. 49. obs. 2.)

[2]) Commentationes societat. reg. Gottingensis. Vol. 2. Gottingæ 1813. 4to. p. 19. (Mich. p. 109. obs. 49. et p. 47. obs. 1.)

[3]) Baudelocque in recueil périod. etc. T. 5. p. 445. (Mich. p. 111. obs. 68.)

[4]) Osiander: Handb. d. Entbindungsk. Bd. 2. Abtheil. 2. Tübing. 1821 p. 329. ex: Biographie des Joh. Pet. Frank. Wien 1802. 8vo. p. 128. (A. Mich. haud commemoratus). Hic casus forsitan ad hoc seculum pertinet.

resuscitata est, chirurgus perterritus fugit, alius illam deinde tractavit. Femina servata est. De vita infantis nihil dicitur [1]).

36. Samson sectionem Cæsaream incisione transversa cum successu instituit [2]).

37. Le Couté historiam sectionis Cæsareæ cum successu institutæ cum academia chirurgorum Parisiensi communicavit [3]).

---

38. 1801. Schlegel in femina parva deformi cum successu sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit [4]).

39. 1801. Balber in femina annos 24 nata, cui diameter conjugata superior $1\frac{3}{4}$ poll. æstimata est, jam per 60 horas parturiente antea semel ope sectionis Cæsareæ a Cl. Mangold institutæ (Obs. 32) enixa, incisione per musc. rectum sinistrum sectionem Cæsaream repetiit. Infans vixit. 13tia post operationem hebdomade femina restituta est [5]).

40. 1802. Lorinser in femina, annos 23 nata, in infantia rhachitide affecta, pelvi admodum angusta prædita, 28 fere horas post initium partus et 24 post rupturam membranorum, incisione in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 4 hebdomades sanata est. In partu insequente (post duos annos) ob rupturam uteri accedentem gastrotomia cum successu adhibita est [6]).

---

1) Bodin: Essai sur les accouchemens an 6. cfr. Baudelocque in recueil périod. etc. T. 5. 447. (Mich. p. 108. obs. 37.)

2) Lauverjat: Neue Meth. den Kaiserschn. zu machen etc., übers. v. Eysold 1790. p. 204. (A. Mich. omissus.)

5) Simon in mémoires de l'acad. de chir. etc. T. 2. p. 308. (Mich. p. 108. obs. 41 sub nomine le Comté.)

4) Schweighäuser: Archives de l'art des accouch. T. 2. p. 149. (Mich. p. 112. obs. 2.)

5) Osiander in: Comment. soc. Reg. Gotting. Vol. 2. p. 18. (Mich. p. 112. obs. 1.)

6) Siebolds Journal etc. Bd. 3. p. 106. (Mich. p. 112. obs. 3 et p. 52. obs. 4.)

41. 1805. D'Ariste in femina rhachitide admodum deformata, annos 25 nata, diametro conjugata introitus pelvis ne 2 quidem poll. æstimata, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Pars intestinorum prolapsa facile reposita est. Infans vivus fuit; puerpera post 4 hebdomades sanata est[1]).

42. 1805. Le Maitre in femina, annos 35 nata, cui diameter conjugata superior 19 lineas metiebatur, incisione secundum musculi recti marginem externam sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus erat; Puerpera post 40 dies sanata est[2]).

43. 1806. Guirard et Willich prope Solingen ob angustiam pelvis sectionem Cæsaream instituerunt. Femina sanata post 4 menses febri nervosa correpta obiit. Eventus quoad infantem non cognitus est[3]).

44. 1807. D'Ariste cum successu sectionem Cæsaream in femina antea ab illo cæsa (obs. 41) repetiit[4]).

45. 1807. Le Maitre in femina antea ab illo secta (obs. 42)

---

1) Chisholm in: Edinburgh medical and surgical journal. Vol. 4. Edinburgh 1808. 8. p. 178. Michaelis, ut videtur, hunc casum bis affert (p. 114. obs. 10 et 14). Cum citatio observationis posterioris necesse erronea sit (annus enim dicitur 1814, liber vero, ex quo haustus est, quem mihi procurare non valui, anno 1813 editus est); cum cæteri autores de hac tertia operatione taceant; cum similitudo inter utramque observationem, quantum ex descriptione admodum manca, quam habet Michaelis, insignis videatur (utraque operatio in mense Octobri in eadem urbe ab eodem operatore incisione in linea alba cum eodem successu instituta est) meum esse censui, observationem alteram excludere.

2) Recueil périod. de la soc. de méd. T. 44. (Mich. p. 54. obs. 5. et p. 113. obs. 5.)

3) G. W. Stein d. J. Annal. der Geburtshülfe. St. 1. 8vo. Leipzig 1808 p. 261. (Mich. p. 113. obs. 7.)

4) Chisholm l. c. et Dictionnaire des sciences médic. T. 17. Paris 1816. 8vo. p. 425. (Mich. p. 114. obs. 11 et p. 59. obs. 8.)

iterum sectionem Cæsaream hac vice incisione in linea alba instituit. Vulnus post 14 dies sanatum est. Infans mox obiit[1]).

46. 1810. Chapuis in femina rhachitica, cui diameter transversa inferior 2 pollices metiebatur, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 30 dies sanata est[2]).

47 1813 (?). Charmeil in femina rhachitica, annos 40 nata, quater ope dissectionis foetus enixa, jam per 7 dies parturiente, diametro conjugata introitus pelvis 15—16 linearum æstimata, incisione longitudinali in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus facile extractus est. Post tres hebdomades femina fere sanata est[3]).

48. 1813. Velten in femina antea bis infantibus prætmaturis enixa, rhachitide deformata, diametro conjugata superiore vix 2 pollices metiente, 17 fere horas post initium partus et 24 horas post profluxum liquoris Amnios, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 5 hebdomades omnino sanata est. Femina octo annos postea defuncta, sectio cadaveris instituta est, forma uteri omnino naturalis erat; ubi incisio antea instituta erat, sulcus longitudinis linearum 3 inveniebatur, peritonæum hic firme cum utero concretum erat[4]).

49. 1814. Chirurgus cujus nomen, non cognitum est, feliciter sectionem Cæsaream secunda vice in femina, 1813 prima vice a Charmeil (obs. 47) operata, instituit. Incisio in cicatrice post primam operationem facta est[5]).

---

1) Recueil périod. etc. T. 44. (Mich. p. 54. et p. 113. obs. 8.)
2) Michaelis p. 114. obs. 12. ex Journ. de méd. par Corvisart. T. 21.
3) Recueil. périod. de la soc. de méd. etc. T. 51. p. 201. (Mich. 114. obs. 13.)
4) Gräfe und Walthers Journ. Bd. 11. p. 550. (Mich. 115. obs. 15?)
5) Recueil périod. de la soc. de méd. etc. T. 51. p. 202. (A. Mich. haud commemoratus.)

50. 1817. Locher in femina rhachitide admodum deformata, cujus diameter conjugata 2—2½ poll. æstimata est, dolores ad partum sat intensos per 14 horas perpessa, membranis 3 horis abhinc ruptis, applicatione forcipis incassum tentata, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est. Hæmorrhagia sat gravis post operationem oborta contractionibus uteri sedata est. Post octo hebdomades femina omnino sanata est [1]). In puerperio insequente utero rupto gastrotomia sine successu instituta est [2]).

51. 1817. Meyer in femina annos 35 nata, quinquies feliciter enixa, in quinto partu, ut videtur, dilaceratione ligamentorum pelvis correpta, unde angustia jam præsens exorta est, 24 horas fere post initium partus et 20 post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Etiamsi placenta transscissa fuit, hæmorrhagia erat levis. Infans mortuus erat. Puerpera post 10 hebdomades omnino sanata est. In media graviditate insequente ruptura uteri correpta obiit. Sectione linea alba cicatrice tenui cum cute cohærente conjuncta inveniebatur, uterus in longitudine incisionis anterioris disruptus erat, et margines crassitudine ne chartam quidem æquabant [3]).

52. 1819. Alliprandi in femina annos 31 nata, jam per 5 dies parturiente, orificio uteri et vagina inflammatis et tumescentibus, incisione secundum lineam albam sectionem Cæsaream instituit. Etsi intestina et peritonæum inflammata erant, puerpera post 20 dies sanata est. Infans mortuus erat [4]).

---

1) Medico-chirurgical transactions. Vol. 9. London 1818 etc. p. 11. (Mich. p. 69. obs. 3 et p. 115. obs. 17.)

2) Ibidem Vol. 11.

3) Siebolds Journ. etc. Bd. 3. p. 227 et 291. (Mich. p. 115. obs. 16 et p. 72. obs. 5.)

4) Salzburger med.-chir. Zeitung 1821. Bd. 4. p. 289 ex Omodei annali universali di medicina. Vol. 14. Milano 1820. 8vo. (Mich. p. 116. obs. 20.)

53. 1820. Van Buren in femina Æthiope annos 35 nata, antea naturæ ope quinquies infantibus mortuis enixa, jam fere per 60 horas doloribus passim sat fortibus ad partum laborante, aqua ab initio partus profusa, pelvi exostosi adeo coarctata, ut 3 digiti modo admodum difficulter introduci possent, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Pars intestini prolapsa facile reposita est. Infans post paucas horas obiit; mater sanata est [1]).

54. 1820. Horn in femina, pelvi naturali prædita, antea semel sat difficulter enixa, unde coarctatio notabilis orificii uteri et vaginæ remansit, ob hanc ipsam coarctationem sectionem Cæsaream incisione in linea alba instituit. Vesica urinaria urina admodum extensa et intestina prolapsa incisionem obliquam uteri, qua placenta læsa et hæmorrhagia gravis exorta est, necessariam reddiderunt. Gemelli vivi extracti sunt. Post 9—10 hebdomades femina omnino sanata est [2]).

55. 1821. Merrem in nosocomio obstetricio, quod Coloniæ Agrippinæ floret, in femina, annos 24 nata, in infantia rhachitide affecta, diametro conjugata superiore $2\frac{1}{2}$ poll. metiente jam per 30 horas dolores ad partum perpessa, aqua per 5 horas lente profluente, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 4 hebdomades sanata est [3]).

56. 1821. Zentel in femina annos 23 nata, antea quater enixa, postea osteomalacia correpta, unde pelvis et præser-

---

1) The London med. and phys. Journ. edited by Macleod and Bacot. Vol. 49. (Mich. p. 116. obs. 21.)

2) Rust: Magazin für die gesammte Heilk. Bd. 10. Berlin 1821. 8vo. p. 324. (Mich. hunc casum bis affert et (p. 117. obs. 23) ex Hufelands Journ. Bd. 52. p. 70 et ex autoritate supra allata (p. 121. obs. 32). Quicunque utramque operationem comparaverit, facile sibi persvadebit, utramque eundem casum respicere.

3) Rust: Magazin etc. Bd. 17. p. 315. (Mich. p. 117. obs. 22).

tim apertura inferior admodum deformata est, ita ut diameter transversa $\frac{1}{4}$ poll. tantum et diameter conjugata $2\frac{1}{2}$ poll. metiretur, 4 fere dies post initium partus incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus resuscitatus est. Femina post 5 hebdomades sanata est[1]). In graviditate insequente ruptura uteri correpta obiit[2]).

57. 1821. Fischer aut Fiorentini in femina annos 40 nata, antea quater feliciter enixa, per 12 ultimos annos arthritide vaga et post quintum puerperium 3 annis abhinc cum contractura et motu impedito extremitatum inferiorum (osteomalacia) correpta, jam sexta vice pariente, admodum debili, pelvi exostosi, quæ in utroque latere arcus pubis sedem habebat, coarctata, promontorio ossis sacri admodum prominente, diametro conjugata superiore $1\frac{1}{2}$ poll. æstimata, aqua jam pluribus diebus abhinc profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit et infantem vivum extraxit. 5 hebdomadibus præterlapsis vulnus omnino consolidatum est[3]).

58. 1822. Schmidt in femina, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{4}$ poll. metiebatur et transversa etiam diminuta erat, aqua profusa, versione pluries frustra tentata, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Pars colon transversi prolapsa reposita est. Infans mortuus erat. Post 8 hebdomades femina omnino sanata est[4]).

---

1) Rusts Magazin etc. Bd. 14. p. 511. (Mich. p. 71. obs. 4 et p. 118. obs. 24.)

2) Gemeins. deutsche Zeitschrift etc. Bd. 6. p. 153.

3) Harless: Rheinische Jahrb. f. Med. u. Chir. etc. Bd. 5. Stück 3. Elberfeld 1822. 8vo. p. 108. — Hunc casum omnibus rationibus bene affirmatum Michaelis (p. 130. obs. 8) sine jure inter casus incertos rejecit. Idem autor ibidem in obs. 9. eundem casum iterum sub nomine Ficker affert, qui vero tantummodo hunc casum ab operatoribus sibi relatum cum Harless communicavit.

4) Rusts Magazin. Bd. 14. p. 87. (Mich. p. 66. obs. 1 et p. 118. obs. 25.)

59. 1822. Spitzbarth in femina rhachitide admodum deformata, diametro conjugata superiori 1 poll. 4 lin. æstimata, jam per 29 horas parturiente, membranis nondum ruptis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Intestina prolapsa reposita sunt. Infans vixit, puerpera post 6 hebdomades sanata est [1]).

60. 1822. Femina æthiops annos 14 nata ope novaculæ incisione cruciata ipsa sectionem Cæsaream in se instituit. Ex vulnere magna pars intestinorum et infans propenderunt. Rite tractata post paucas hebdomades sanata est [2]).

61. 1822. Müller in femina rhachitica admodum deformi, annos 33 nata, cui diameter conjugata superior modo 2 poll. metiebatur, 48 horas post initium partus, aqua jam 24 horis abhinc profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Vulnus post 6 hebdomades sanatum est [3]).

62. 1823. Leuch in femina annos 28 nata, in infantia rhachitide correpta, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, 36 horas post initium partus et profluxum liquoris Amnios incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans, ob contractionem uteri difficillime extractus, asphycticus non resuscitatus est. Pars intestinorum prolapsa est. Puerpera sanata est [4]).

63. 1823. Schenck in femina annos 38 nata, antea quinquies facile enixa, postea osteomalacia admodum deformata, per 72 fere horas parturiente, aqua 48 horis abhinc profusa,

---

1) Siebolds Journ. etc. Bd. 3. p. 80. (Mich. p. 116. obs. 19.)

2) Froricps Notizen etc. Bd. 6. p. 350 ex relatione a Clellen in: New-York med. and phys. journ. March 1823. (Mich. p. 118. obs. 26.)

3) Rusts Magazin d. g. H. Bd. 28. p. 146. (Mich. p. 119. obs. 27.)

4) Michaelis p. 120. obs. 30. ex Salzb. med chir. Zeit. 1824. p. 286.

incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Solutione placentæ hæmorrhagia sat gravis erat. Magna intestinorum pars prolapsa difficulter reposita est. Puerpera 8 hebdomadibus post operationem præterlapsis sanata est[1]). In media graviditate insequente ruptura uteri correpta est, gastrotomia cum successu instituta est[2]).

64. 1823. Vonderfuhr in femina annos 31 nata, in infantia rhachitide laborante, 80 horas post initium partus et 24 horas post rupturam membranarum, diametro conjugata introitus pelvis vix 2 poll. æstimata, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia erat levissima; infans vixit. Puerpera post 5 hebdomades omnino sanata est[3]).

65. 1824. Engeltrum in femina rhachitide admodum deformata, cujus diameter conjugata $2\frac{1}{2}$ poll. æstimata est, jam per 60 horas dolores ad partum perpessa, aqua fere per idem temporis spatium profusa, incisione in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est. Puerpera post 4—5 hebdomades omnino sanata est[4]).

66. 1825. v. Gräfe in femina in infantia rhachitide et scrophulosi summe vexata, annos 30 nata, admodum deformi, cujus diameter conjugata introitus pelvis $2\frac{1}{4}$ poll. æstimata est, aqua jam 49 horis abhinc profusa, doloribus ad partum admodum intensis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia erat levis. Infans vivus extractus est. Pars intestinorum post operationem peractam prolapsa facile re-

---

1) Siebolds Journ. etc. Bd. 5. p. 461. (Mich. p. 120. obs. 29.)

2) Ibidem. Bd. 6. p. 377. (Mich. 121. obs. 33.)

3) Rust: Magazin d. g. H. Bd. 16. p. 54. (Mich. p. 119. obs. 28.)

4) Gemeins. deut. Zeitschr. Bd. 4. p. 128. ex Nieuve Verhandelingen van het Genotschap ter Bevordering der Heilkunde te Amsterdam 1825. (Mich. p. 120. obs. 31. et p. 68. obs. 2)

posita est. Puerpera post 7—8 hebdomades omnino sanata est[1]).

67. 1825. Wolff in femina quæ prima ætate scrophulosi laboraverat, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, per plures dies dolores leves ad partum perpessa, 40 fere horas post profluxum liquoris Amnios, per 10 horas 200—225 tractationibus cum forcipe bis applicata incassum institutis, capite deinde perforato, sectionem Cæsaream incisione in linea alba instituit. Puerpera post 2 menses omnino sanata est[2]).

68. 1825. Jungmann in nosocomio obstetricio Pragensi sectionem Cæsaream instituit. Infans et puerpera vixerunt[3]).

69. 1826. Zwanck in femina Adametz annos 31 nata, in infantia rhachitide summe laborante, cui diameter conjugata superior vix 2 pollices metiebatur, versione et applicatione forcipis sine fructu tentatis, 42 fere horas post initium partus et 30 fere horas post rupturam membranorum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus difficulter extractus est, quia incisio uteri nimis parva erat. Puerpera post 4—5 hebdomades sanata est[4]).

70. 1826. Schmid incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans et mater vixerunt[5]).

71. 1826. Merrem in nosocomio obstetricio, quod Coloniæ Agrippinæ floret, in femina, 1821 prima vice secta

---

1) Gräfe u. Walther: Journ. der Chir. u. Augenheilk. Bd. 9 8vo. Berlin 1826. p. 51. (Mich. p. 121. obs. 34.)

2) Neue Zeitschr. f. Geburtsh. Bd. 8. p. 348. (A. Mich. omissus, quia, postquam ille suam collectionem finiverat, publici juris factus est.

3) Siebolds Journ. etc. Bd. 9. p. 584. (Mich. p. 121. obs. 35.)

4) Michaelis p. 122. obs. 37. et p. 6.

5) Salzburger med. chir. Zeitung 1829. Bd. 2. p. 310. ex Verhandl. d. med. chir. Gesellsch. des Canton Zürich. Hft. 1. 1828. 8vo. (Mich. p. 127. obs. 44.)

(obs. 55) iterum 4 fere horas post initium partus, orificio uteri ad 2 fere pollices dilatato, membranis integris, incisione prope cicatricem post operationem anteriorem remanentem cum intestinis concretam sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 6 hebdomades e nosocomio abiit[1]).

72. 1827. Metz in femina annos 24 nata, rhachitide admodum deformata, diametro conjugata superiore $2\frac{1}{2}$ pollices metiente, jam per 2 dies dolores ad partum perpessa, membranis mox ante operationem ruptis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Incisione uteri hæmorrhagia sat gravis exorta est. Infans vixit. Pars omenti et coli transversi prolapsa mox reposita est. Puerpera post varia fata hebdomadibus fere 10 præterlapsis sanata est[2]).

73. 1827. Jäggy in femina annos 33 nata, in infantia rhachitide summe affecta, antea semel versionis ope quam difficillime enixa, in partu insequente, aqua jam per 2 dies profusa, dolores ad partum intensos per 12 horas perpessa, versione primum tentata, corpore etiam extracto, sed capite remanente, perforatione ob firmitatem capitis haud succedente, corpore foetus abscisso, demum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Caput forcipis ope per vulnus abdominis extractum est. Puerpera sat cito sanata est[3]).

74. 1827 (?). Andreini cum successu sectionem Cæsaream instituit[4]).

---

[1]) Gemeins. deuts. Zeitschr. Bd. 3. p. 321. (Mich. p. 56. obs. 6 et p. 121. obs. 36.)

[2]) v. Siebolds Journ. etc. Bd. 1. p. 1. (Mich. p. 124. obs. 40.)

[3]) Siebolds Journ. f. Geburtsh. Bd. 9. p. 693. ex Verhdl. der vereinigt. ärztl. Gesellsch. d. Schweitz. 1829. Hft. 2. (Mich. p. 127. obs. 43.)

[4]) Hufeland: Biblioth. d. pract. Heilk. Bd. 60. p. 366. ex Omodei: annali universali di medicina. Aug. 1827. (A Mich. haud commemor.) cfr. Journ. univers. des scienc. méd. Paris. Janv. 1828.

75. 1827. Johanknecht in femina annos 41 nata, bis naturæ ope feliciter deinde osteomalacia affecta tertia vice ope perforationis enixa, jam admodum deformi, paralysi extremitatum inferiorum affecta, diametro conjugata ne 2 quidem pollicum æstimata, 72 fere horas post initium partus, aqua profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est. Post varia gravia symptomata puerpera post 6 hebdomades sanata est[1]).

76. 1827. Neuber in femina annos 37 nata, cujus diameter conjugata superior 1″ 8‴ æstimata est, aqua jam 24 horis abhinc profusa, doloribus sat fortibus, infante verosimiliter jam defuncto, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Incisione uteri placenta læsa est, unde hæmorrhagia gravis exorta est. Intestina difficulter retenta sunt. Infans mortuus erat. Puerpera post 17 dies omnino sanata est[2]).

74. 1827. Andreoli in nosocomio "arcispedale di Firenze" in femina rhachitica, cujus diameter conjugata nimis parva erat, 60 horas post initium partus sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus erat, mater post 32 dies sanata est[3]).

78. 1827. Richmond in civitate "Ohio" sectionem Cæsaream cum successu instituit[4]).

79. 1828. Hoebeken in femina annos 33 nata, semel ante 6 annos naturæ ope feliciter enixa, postea osteomalacia, etiamsi multis remediis (etiam oleo jecinoris) tractata, semper increscente, cui dimensiones pelvis transversæ admodum dimi-

---

1) Abhandl. d. ärztl. Gesellsch. zu Münster. 1829. 8vo. p. 350. (Mich. p. 125. obs. 41.)

2) Hufeland: Journ. d. pract. Heilk. Bd. 83. p. 44. (Mich. p. 123. obs. 39.)

3) Frorieps Notizen etc. Bd. 18. p. 320. ex: osservatore medico di Napoli del 15 Luglio 1827. (Mich. p. 126. obs. 42.)

4) Ibid. Bd. 22. p. 48. ex Western med. and phys. journ. Nov. 1827. (Mich. p. 122. obs. 38.)

nutæ erant (diameter transversa exitus pelvis $\frac{3}{4}$ poll. tantum metiebatur), per ultimos 6 menses convulsionibus correpta, membranis jam ruptis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Mater post mensem sanata est[1]).

80. 1829. Pauli in femina rhachitica, annos 34 nata, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{4}$ poll. æstimata est, 24 horas post profluxum liquoris Amnios incisione in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus resuscitatus est. Post 8 hebdomades femina omnino sanata est[2]).

81. 1830. Wiedemann in clinico obstetricio Kilionensi in femina antea a Zwanck secta (obs. 69) 18 fere horas post initium partus, membranis adhuc integris, incisione longitudinali in cicatrice post sectionem anteriorem remanente sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 10 fere hebdomades sanata est[3]).

82. 1831. Metz sectionem Cæsaream et matri et infanti felicem instituit[4]).

83. 1832. Michaelis in nosocomio obstetricio, quod Kiliæ floret, in femina Adametz tertia vice (obs. 69 et 81), 18 fere horas post initium partus, membranis integris, incisione in cicatrice post operationem secundam sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est. Placenta soluta hæmorrhagia exorta est. Puerpera post 11 hebdomades sanata est[5]).

---

1) Bulletin méd. belge. Fevrier 1838. Encyclogr. des sciences méd. Fevr. 1838. (Collectione Mich. jam finita hic casus primum publici juris factus est.)

2) Kleinerts: Allgem. Repertor. d. gesammt. deut. Journalist. 8vo. Jahrg. 4 u. 5. Supplement-Heft. Abth. 1. p. 181 ex Verhandl. d. vereinigt. ärztl. Gesellsch. der Schweitz 1830. Erste Hälfte. (A Mich. omissus.)

3) Michaelis p. 10 et p. 127. obs. 46.

4) Gemein. deuts. Zeitschr. Bd. 6. p. 150. (Mich. p. 128. obs. 47.)

5) Michaelis p. 24 et p. 128. obs. 48.

84. 1832 (?). Vanderfuhr in femina annos 36 nata, antea quater facile et feliciter enixa, postea osteomalacia correpta, pelvi admodum coarctata, diameter conjugata superior $2\frac{1}{4}$ poll. æstimata, jam per 36 horas parturiente, aqua jam minimum ante 24 horas effusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans post 4 hebdomades obiit. Mater post 7 hebdomades sanata est[1]).

85. 1832. Schenck in femina annos 34 nata, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$ poll. æstimata est, 10 horas post initium partus et rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Ex læsione placentæ hæmorrhagia gravis exorta est. Infans vivus non sine difficultate extractus est. Intestina et omentum prolapsa difficulter reposita sunt. Puerpera post 4 hebdomades sanata est[2]).

86. 1832. Kilian in clinico obstetricio Bonnensi in femina rhachitica annos 24 nata, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, 24, ut videtur, horas post initium partus, membranis integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Intestina prolapsa reposita sunt. Infans asphycticus mox resuscitatus est. Puerpera post 3 hebdomades sanata est[3]).

87. Lanz in femina annos 31 nata sana, antea infante immaturo, ut videtur, acephalo enixa, conjugata $2\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ poll. metiente, jam per 36 horas parturiente, membranis non-

---

1) Caspers Wochenschr. f. d. gesammt. Heilk. 1834. No. 16. (A Mich. omissus, quia, ejus collectione jam edita, primum communicatus est. Levy p. 98. obs. 4.)

2) Siebolds Journ. f. Geburtsh. Bd. 15. 1836. p. 463. (Collectione Mich. jam edita primum descriptus. Levy p. 98. obs. 1.)

3) P. van Ghemen: dissert. inaug. historiam partus sectione Cæsarea expediti sistens. Bonnæ 1833. 4to. (Eo tempore descriptus, quo Mich. suam collectionem edidit. Levy p. 98. obs. 2. sub anno 1833.)

nullis horis abhinc ruptis, incisione prope lineam albam sectionem Cæsaream instituit. Ex læsione levi placentæ hæmorrhagia, ut videtur, non gravis exorta est. Infans vixit. Puerpera post 4 hebdomades sanata est[1].

88—91. Jolly refert, patrem suum sexies, quater cum optimo successu, sectionem Cæsaream instituisse, partum in hisce casibus semper diutius quam horas 48 duravisse, aquam semper profusam fuisse et feminas in 3 casibus multis conatibus partus perficiendi ab obstetricibus et obstetricantibus ignaris vexatas esse. 2 puerperæ ante mensem sanatæ sunt; 2 inflammatione abdominis correptæ, aptis remediis tractatæ, sanatæ sunt; 2 obierunt: 4 infantes vixerunt[2].

---

92. 1833 (?). Wittekop in femina sana, robusta, ante 3 annos ope perforationis enixa, diametro conjugata vix 2 poll. metiente, doloribus ad partum intensis, affecta aqua effusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit; mater cito sanata est[3].

93. 1833. Duchateau in nosocomio, quod in "Arras" est, in femina rhachitica annos 22 nata, cui diameter conjugata superior 2 poll. metiebatur, nonnullis horis post initium partus præterlapsis, membranis integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 9 hebdomades omnino sanata est[4].

---

[1]) Gemein. deut. Zeitschr. Bd. 1. p. 499. (Mich. p. 127. obs. 45.)

[2]) Archives génér. de méd. Février 1831. p. 266 ex Jolly: thèse. Paris. num. 76. 1830. (Mich. p. 108. obs. 45-48 et p. 81. obs. 77-78.)

[3]) Caspers Wochenschr. f. die gesammt. Heilk. 1834. No. 16. (Levy p. 98. obs. 3.)

[4]) Presse médic. No. 7. 1837. (Levy p. 99. obs. 13.)

94. 1834. Hoebeken in femina annos 48 nata, antea ter naturæ ope enixa, postea osteomalacia, usu olei jecinoris parum ameliorata, sub graviditate quarta iterum increscente, correpta, cui diameter transversa exitus pelvis $1\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, in initio partus mox post rupturam membranarum incisione in linea alba sat difficulter ob abdomen pendulum sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit; mater post 16 dies sanata est[1]).

95. 1834. Stoltz in clinico obstetricio Argentoratensi in nana rhachitica pelvi regulari sed nimis parva prædita, diametro conjugata superiore 2 poll. 4 lin. metiente, orificio uteri jam dilatato, membranis adhuc integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Mater post 7—8 hebdomades sanata est[2]).

96. 1835. Bauer in femina annos 30 nata, prima ætate scrophulosi et coxalgia correpta, cui introitus pelvis vix coarctatus videbatur, tuberositates vero ossis ischii 2 tantum poll. inter se distabant, forcipe incassum adhibita, 60 fere horas post initium partus et 30 fere horas post profluxum liquoris Amnios incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus, postea resuscitatus, ob inclavationem capitis difficulter extractus est. Hæmorrhagia sat gravis erat. Post 9 fere hebdomades femina omnino sanata est[3]).

97. 1835. Wiesel in femina parva teneraque, cui diameter conjugata superior vix 2 poll. metiebatur, 72 fere horas post initium partus et rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans debilis post dimi-

---

1) Bullet. méd. belge Févr. 1838. Encyclogr. des sciences méd. Fevr. 1838. p. 48. (A Levy omissus.)

2) Mémoires de l'acad. royale de méd. de Paris. T. 5. fascic. 3. Paris 1836. 4to. p. 90. (Levy p. 98. obs. 6.)

3) Siebolds Journ. etc. Bd. 16. p. 257. (Levy p. 98. obs. 7.)

diam horam defunctus est. Post 3 hebdomades femina sanata est[1]).

98. 1835. Petrentz in femina annos 28 nata, rhachitica, cui diameter conjugata 2 poll. metiebatur, forcipe incassum adhibita, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est. Puerpera post 6 hebdomades sanata est[2]).

99. 1835. Gibson in femina annos 24 nata rhachitica, cui diameter conjugata superior $1\frac{3}{4}$—2 poll. metiebatur, antea bis perforationis ope enixa, sectionem Cæsaream feliciter et matri et foetui peregit[3]).

100. 1836. Stracke in femina annos 32 nata, rhachitica, cujus diameter conjugata superior vix $2\frac{1}{2}$ poll. æstimata est, dolores ad partum leves per plures dies perpessa, orificio uteri dilatato, 4 horas post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 7 hebdomades sanata est[4]).

101. 1836. Göttsche in femina rhachitica annos 32 nata, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$ poll. æstimata est, 16 fere horas post initium partus et rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 3—4 hebdomades omnino sanata est[5]).

---

[1]) Med. Zeitung v. Verein f. Heilk. in Preussen 1836. No. 13. Schmidts Jahrb. Bd. 13. p. 62. (Levy sub nomine Wiefel p. 99. obs. 8. Doctissimus ille autor operationem et matri et foetui successisse affert, quod vix omnino exactum est.)

[2]) Siebolds Journal f. G. Bd. 15. p. 585. (Levy p. 99. obs. 10.)

[3]) American medic. Journ. 1838. Schmidts Jahrb. Bd. 24. p. 66. (Levy p. 100. obs. 20.)

[4]) Neue Zeitschr. f. Geburtsh. Bd. 8. p. 161. (Collectione Levy jam finita primum descriptus est.

[5]) Zeitschr. f. d. ges. Med. Hamburg 1837. Bd. 5. p. 187. (Levy p. 99. obs. 14.)

102. 1836. Vonderfuhr in femina, annos 24 nata, prima ætate rhachitide et scrophulosi admodum affecta, cui diameter conjugata superior $1\frac{1}{2}$ poll. æstimata est, 15 fere horas post initium partus, aqua lente profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Pars omenti prolapsa reposita est. Puerpera post 8 hebdomades omnino sanata est [1]).

103. 1836 (?). Meyer in femina annos 38 nata, antea ter facile et feliciter enixa, per 2 annos osteomalacia laborante, unde pelvis admodum deformata est, sectionem Cæsaream incisione in linea alba 12 fere horas post initium partus instituit. Læsione placentæ hæmorrhagia gravis exorta est. Infans vixit. Dimidiam horam post deligationem peractam magna pars intestinorum per vulnus prolapsa est et dein reposita. Post 7 fere hebdomades puerpera omnino sanata est [2]).

104. 1836. Michaelis in nosocomio obstetricio Kilionensi in femina Adametz antea ter secta (obs. 69, 81 et 83), 60 horas post initium partus et $1\frac{1}{2}$ horam post rupturam membranarum quarta vice sectionem Cæsaream instituit. Ob concretionem uteri cum integumentis cavum abdominis non apertum est. Infans vixit. Puerpera post 2 menses omnino sanata est [3]).

105. 1836. Chirurgus ob stricturam vaginæ sectionem Cæsaream instituit. Caput infantis mortui in pelvi inclavatum ope forcipis per vulnus externum applicatæ extractum est. Mater intra 3 menses sanata est et postea naturæ ope peperit [4]).

---

1) Caspers Wochenschr. No. 38, 1836. (Levy p. 99. obs. 12.)

2) Neue Zeitschr. f. Geburtsk. Bd. 3. p. 49. (Levy p. 98. obs. 5.)

3) Ibidem. Bd. 5. p. 1. (Levy p. 99. obs. 11.)

4) Provincial-Sanitäts-Berichte des Kön. Medic. Coll. von Pommern für das zweite Semester 1836. p. 141. Behm in Neue Zeitschr. f. Geburtsh. Bd. 10. p. 8. (Collectione, quam fecit Levy, jam edita, primum descriptus.)

106. 1837. Kilian in clinico obstetricio Bonnensi in femina antea bis feliciter enixa, dein osteomalacia correpta, in quarto et quinto puerperio perforationis ope, et in sexto ope versionis et forcipis enixa, diametro conjugata superiore 2 poll. 3 lin. metiente, 4 fere horas post initium partus, orificio uteri dilatato, membranis integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia sat gravis fuit. Omentum prolapsum facile repositum est. Infans vixit. Puerpera post 8 hebdomades sanata est [1]).

107. 1837. Michaelis in clinico obstetricio Kilionensi in femina rhachitica, cui diameter conjugata superior vix 2 poll. 4 lin. æstimata est, jam antea bis perforationis ope enixa, 30 fere horas post initium partus, membranis adhuc integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia sat gravis fuit. Infans vixit. Post deligationem magna pars intestinorum prolapsa est et deinde reposita. Puerpera post 6 hebdomades omnino sanata est [2]).

108. 1837. Hoebeken in femina annos 33 nata, antea bis naturæ ope enixa, cui apertura inferior pelvis adeo coarctata erat, ut tres digiti vix immitti possent, incisione obliqua in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Arteria epigastrica læsa ligata est. Infans vixit. Puerpera post 14 dies sanata est [3]).

109. 1837. Gibson in femina, antea ab ipso operata (obs. 99) jam febri sat intensa affecta, aqua profusa, integumentis

---

[1]) Küpper: Sectionis Cæsareæ Historia. Diss. inaugur. 1838. Bonnæ 4to. (A Levy omissus.)

[2]) Pfaff. Mittheilung. etc. 1838. Heft. 3 u. 4. p. 88. (Levy p. 100. obs. 22.)

[3]) Bull. méd. Belge. Févr. 1838. Encyclogr. des scienc. méd. Févr. 1838. p. 51. (A Levy omissus.)

cum utero concretis incisione in cicatrice post operationem priorem remanente sectionem Cæsaream instituit. Infans et mater vixerunt [1]).

110. 1837. Vormann in femina annos 40 nata, antea pluries feliciter enixa, jam per plures annos osteomalacia correpta, per 12 horas parturiente, membranis integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus ob inclavationem capitis difficulter extractus est. Mater post 10 hebdomades sanata est [2]).

111. 1838. Hoebeken in femina annos 29 nata, antea pluries feliciter enixa, jam osteomalacia correpta, pelvi adeo coarctata, ut ne unus quidem digitus inter tuberositates ossium ischii introduci posset, membranis ruptis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Mater post nonnullas hebdomades sanata est [3]).

112. 1838. Hoebeken in femina antea pluries enixa, jam osteomalacia laborante, unde apertura inferior pelvis adeo coarctata erat, ut unus tantum digitus introduci posset, 4 horas post initium partus, membranis integris, sectionem Cæsaream ad modum Lauverjat peregit et gemellos vivos extraxit. Mater post tres hebdomades sanata est [4]).

113. 1838. Königsfeld in femina rhachitica annos 37 nata, cujus diameter conjugata superior 2—2¼ poll. æstimata est, per 3 dies dolores ad partum intensos perpessa, membra-

---

1) American medic. Journ. 1838. Schmidts Jahrb. Bd. 24. p. 66. (Levy p. 100. obs. 21.)

2) Kleinerts Repert. ex Med. Zeitung etc. 1839. Nr. 37. (Levy p. 100. obs. 24.)

3) Hoebeken mémoires et observations pratiques de chirurgie et d'obstétricie. Bruxelles 1840. 8vo. p. 55. (Collectione, quam instituit Levy, jam edita primum descriptus.)

4) Ibidem p. 36. (Collectione quam fecit Levy, jam edita primum descriptus.)

nis integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Vulnus post 20 dies consolidatum est[1]).

114 Knowles in femina, antea octies enixa, post quartum puerperium osteomalacia correpta, diametro conjugata jam 2 poll. metiente, 30 horas post initium partus et 7 post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Mater post 4 hebdomades sanata est[2]).

115. Herzbruch in femina sana annos 31 nata, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, 16 fere horas post initium partus, membranis, ut videtur, integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Inclavatio capitis in pelvi infundibuliformi applicationem forcipis per vulnus externum necessariam reddidit. Infans mortuus erat. Puerpera post 8 hebdomades sanata est[3]).

116. Estep in femina bis forcipis ope et tertia vice ob rupturam uteri, capite foetus abrepto in utero remanente, gastrotomia enixa, quarta vice parturiente, foetu jam mortuo, linea alba nondum consolidata, utero tanquam vesica transparente sine cicatrice, sectionem Cæsaream instituit. Puerpera, ut videtur, post 9 dies sanata est.[4]).

117. Hoebeken in femina, antea bis vel ter feliciter enixa, postea osteomalacia correpta, cui diameter transversa exitus pelvis 18 lin. metiebatur, 60 horas post initium partus et 48 post rupturam membranarum sectionem Cæsaream insti-

---

1) Kleinerts Repert. etc. Aug. 1840. p. 148. ex Med. Zeit. von d. Verein. f. Heilk. in Preussen 1839. No. 4. (Levy p. 100. obs. 23.)

2) Transact. of the Provinc. med. and surg. Associat. London 1836. Schmidts Jahrb. Bd. 21. p. 382 (Levy p. 101. obs. 27.)

3) Neue Zeitschr. f. Geburtsh. Bd. 5. p. 316. (Levy p. 99. obs. 15.)

4) Hamburg. Zeitschr. für die ges. Med. Bd. 5. p. 274. (Dublin Journ. March. 1837. ex Western med. Journ.) Levy p. 99. obs. 16 et 17 etiam primam operationem, gastrotomiam, inter casus sectionis Cæsareæ affert, in quo illi assentiri non possum.

tuit. Infans mortuus erat. Puerpera jam reconvalescens post mensem febri typhoidea correpta est, unde 5to die obiit [1]).

118. Tassinari sectionem Cæsaream instituit. Caput in pelvi inclavatum ope manus in vaginam immissæ repressum est. Infans mortuus erat. Mater vixit [2]).

119. Rouvin in femina rhachitica, cui diameter conjugata superior $4\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, transversa 18—20 lin., aqua profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Mater post 37 dies sanata est [3]).

120. Rouvin in femina antea ab ipso secta (obs. 119) operationem Cæsaream repetiit. Infans et mater vixerunt [4]).

121. Wittzach in femina annos 38 nata, cui diameter conjugata superior $1\frac{1}{2}$ tantum poll. metiebatnr, jam per 120 horas parturiente, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Motus infantis jam per triduum cessaverant, infans magnus erat et verosimiliter mortuus. Mater post 5 hebdomades omnino sanata est [5]).

122. Laforce in femina annos 35 nata, antea quater naturæ ope enixa, post secundum puerperium osteomalacia correpta, quinta vice forcipis ope enixa, in sexto partu diametro conjugata superiore 2 poll. metiente, 60 horas post initium

---

1) Bull. med. belge. Fevr. 1838. Encyclogr. des sciences méd. Févr. 1838. (A Levy omissus.)

2) Burns: the principles of midwifery. ninth edition. London 1837. 8vo. p. 509. nota. (A Levy omissus.)

3) Bull. de l'acad. roy. de méd. Séance du 16 Mai 1837. Encyclogr. d. sc. méd. Juillet 1837. (Levy p. 100. obs. 18.)

4) Ibidem. (Levy p. 100. obs. 19.)

5) Med. Zeitung v. V. f. Heilk. in Pr. 1836. Nr. 13. Schmidts Jahrb. Bd. 13. p. 64. (Levy p. 99. obs. 9. Doctissimus ille autor operationem et matri et foetui successisse affert, quod non omnino exactum est.)

partus incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 40 dies sanata est[1]).

123. Lestiboudois in femina, annos 45 nata, quæ antea quinquies feliciter enixa est, in quinto vero puerperio osteomalacia postea increscente correpta est, et sexta vice gravida abortum edidit, in septimo partu, pelvi adeo coarctata, ut partus naturæ ope perfici non posset, 22 horas post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 7 hebdomades sanata est[2]).

124—128. Bosch 1835 cum coetu medicorum Belgicorum (congrès méd. Belge) communicavit, se sectionem Cæsaream ter matribus feliciter (bis in eadem femina et semel in alia) et Wynands etiam operationem matri feliciter bis in eadem femina instituisse[3]).

b. Casus infelices.

1—33. Hi casus jam supra, cum de collectione a Baudelocque instituta disputavimus, allati sunt.

34. 1758. Schützer in nana, 30 annos nata, per nonnullos dies dolores ad partum perpessa, aqua jam profusa, cujus pelvis adeo coarctata erat, ut duo digiti modo difficulter introduci possent, sectionem Cæsaream incisione in latere sinistro abdominis instituit. Infans vivus extractus est, mater nono post operationem die post refrigerium obiit. Sectione

---

1) Bullet. méd. belge. Janvier 1839. Encyclogr. des sc. méd. Janv. 1839. p. 12. (Levy p. 101. obs 25.)

2) Journ. des connaissances medico-chirurg. Janv. 1839. Encyclogr. d. sc. méd. Févr. 1839. (Levy p. 101. obs. 26.)

3) Bullet. méd. Belge. Oct. 1835. (Encyclogr. des scienc. méd. T. 38. Oct. 1835. (A Levy omissus.)

intestina passim inflammata inventa sunt. Vulnus fere consolidatum erat[1]),

35. 1761. Roederer in nosocomio puerperarum Gottingensi in femina, prima ætate rhachitide correpta, diametro conjugata vix omnino 3 pollices metiente, membranis 18 horas post initium partus ruptis, forcipe ter incassum adhibita, 21 horas post initium partus incisione in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus extractus est. Hæmorrhagia erat levis. Puerpera 40 fere post operationem horis præterlapsis obiit. Sectione peritonæum et omentum cum vulnere externo conglutinata inventa sunt et superficies interna uteri ut etiam vaginæ passim gangrænosa[2]).

36. 1761. Obstetricans (Roederer?) in nosocomio obstetricio Gottingensi, in femina per 16 fere horas parturiente, cui ante octo fere horas membranæ ruptæ erant, et brachio foetus prolapso, versione ob contractionem uteri frustra tentata, diametro conjugata introitus pelvis 3 poll. 7 lin. metiente, incisione in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Extractio infantis mortui ob angustiam vulneris uteri difficilis fuit. Pars intestini crassi prolapsa facile reposita est. Diebus insequentibus intestina sæpius prolapsa iterum reposita sunt. Puerpera 75 horas post operationem peractam obiit. Sectione intestina et omentum inflammata, ventriculus pro parte et etiam vagina et cervix uteri gangrænosa inventa sunt[3]).

37. 1769. Thompson in femina annos 23 nata, rhachi-

---

1) Abhandl. der Königl. schwed. Acad. der Wissensch. auf das Jahr 1768. Uebers. v. Kästner. Leipzig 1771 et Schützerkrants (idem autor). Märkvardiga Händelser i Forlösnings-Vetenskapen, Stockholm 1785. p. 141 (Mich. p. 76 obs. 14).

2) Aus den Papieren des Oberhofrath Stein in Siebolds Lucina Bd. 4 Stück 1. Leipzig 1807 8vo. p. 87 (A Mich. haud commemoratus).

3) Ibidem (A Mich. haud commemor.).

tica, antea abortu enixa, cui diameter conjugata introitus pelvis $\frac{7}{8}$ poll. metiebatur, debiles ad partum dolores perpessa donec membranæ 8 horas post initium partus ruptæ sunt, in nosocomio Londinensi, quantum videri potest, 30 fere horas post initium partus sectionem Cæsaream incisione in latere dextro abdominis instituit. Hæmorrhagia erat levissima. Post 4 horas symptomatis nervosis correpta obiit. — Sectione coagulum sangvineum pondere unciarum 20 in abdomine inventum est. Infans, ob tumorem capitis haud vitalis, vivus natus est[1]).

38. 1770 (1769 ?). Henckel in femina admodum deformi, annos 37 nata, cui diameter conjugata superior latitudinem trium digitorum habuit, quare partus naturæ ope impossibilis judicatus erat, aquis jam effusis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Tertio die post operationem intestina vomitu gravi per vulnus externum prolapsa reposita sunt. Femina quarto die obiit. — Sectione intestina passim rubra et inter se et cum omento conglutinata inventa sunt. Infans vixit[2]).

39. 1773. Lauverjat in femina annos 22 nata, sanæ constitutionis, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{4}$ pollices metiebatur, dolores ad partum jam per 30 horas perpessa, membranis integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia erat levis. Omentum et pars intestinorum prolapsa reposita sunt. Femina 4 post operationem diebus præterlapsis obiit. Sectio haud instituta est[3]).

---

1) Medizinische Bemerkungen u. Untersuch. einer Gesell. v. Aerzten in London. Uebers. v. Silchmüller. Bd. 4. Altenburg 1772. 8vo. p. 219 et 228 (Mich. p. 76 obs. 16).

2) Henckels neue medizinische u. chirurg. Bemerk. Zweite Samml. Berlin 1772, 8vo. p. 19 (Mich. p 76 obs. 19).

3) Lauverjats neue Method. d. Kaiserschn. zu machen etc. p. 161. (Mich. p. 76. obs. 20).

40. 1774. Chalmer in femina annos 30 nata, jam per 12 dies dolores ad partum perpessa in "the royal infirmery" Edinburghi incisione in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Summa extensio vesicæ urinariæ inflammatæ operationi impedimento fuit; urina catheteris ope evacuata est. Ex utero demum aperto infans vivus extractus est. Femina symptomatis nervosis correpta 26 horis post operationem obiit[1]).

41. 1774. Hunter in femina annos 36 nata, ter antea feliciter enixa, deinde osteomalacia correpta, quarta vice admodum difficulter, sexta, septima et octava vero modo ope perforationis enixa, diametro conjugata superiore jam modo $1\frac{1}{4}$ poll. metiente, in nosocomio puerperarum 15 horas post initium partus et 10 post rupturam membranarum sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus resuscitatus est. Post 26 horas puerpera symptomatis nervosis correpta obiit. Ossa pelvis adeo mollia erant, ut digitis perforari et sine difficultate transscindi possent[2]).

42. 1775. Obstetricans, cujus nomen non allatum est, in femina septies antea enixa, cui diameter conjugata superior 4 pollices metiebatur, partu ante 4 dies inchoato, membranis ante 48 horas ruptis, versione et applicatione forcipis incassum tentatis, incisione in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Magnitudine capitis extractionem difficilem reddente, caput abscissum est et deinde extractum. Femina 36 horis post operationem præterlapsis obiit. — Sectione margi-

---

1) Hamilton: Outlines of midwifery. Edinburgh 1806. 8vo p. 293. (A. Mich. haud commemoratus).

2) Medic. Bemerk. u. Untersuch einer Gesellsch. v. Aerzt. zu London etc. Bd. 6. Altenburg 1778. 8vo. p. 185 (A Mich. haud commemoratus

nes vulneris externi et intestina, aëre maxime extensa, gangrænosa inveniebantur[1]).

43. 1775. Stein in femina ter antea ope versionis et ultima vice etiam perforationis quam difficillime enixa, cui diameter conjugata superior vix tres pollices metiri videbatur, 30 horas post initium partus et rupturam membranarum incisione in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus facile extractus est, intestina prolapsa facile reposita snnt; hæmorrhagia erat levis. Femina pluries syncope correpta tertio die obiit. — Sectione superficies interna uteri inflammata et collum uteri gangrænosum inveniebantur[2]).

44. 1775, Stein in femina, cui apertura media pelvis („die mittlere Oeffnung") 3 pollices metiebatur, 24 horas post initium partus incisione in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Incisione integumentorum aliquot vasa læsa sunt, Stein igitur quam celerrime infantem et placentam extraxit, ut vix 12 unciæ sangvinis evacuatæ sint. Femina mortua est. — Sectione collectio puris (unciarum 4) inter lienem et ventriculum jam sub graviditate formata et gangræna intestinorum et uteri inventa sunt[3]).

45. 1775. Whyte in femina, cujus status et ante et post operationem mihi non cognitus est, sectionem Cæsaream instituit. Et infans et mater mortui sunt[4]).

46. 1776. Atkinson in femina annos 41 fere nata,

---

[1]) G. W. Stein: Annalen d. Geburtshülfe, 3tes Stück. Leipzig 1809. 8vo. p. LX (Eine der Publicität bisher entgangne Kaisergeburts. geschichte vom Jahr 1775 aus den Papieren des Oberhofraths Stein etc.) (A Mich. haud commemoratus).

[2]) G. W. Stein: Pract. Abhandl. v. d. Kaisergeburt in zwo Wahrnehmungen. Cassel 1775. 4to. cfr. Richters chirurg. Biblioth. etc. Bd. 3, p. 648 (Mich. p. 76 obs. 21).

[3]) Ibidem. cfr. ibid. p. 652 (Mich. p. 76. obs. 22).

[4]) Hull. l. c. p. 66 (A Mich. omissus).

quæ quinquies antea sat facile peperit, sed post ultimum puerperium debilitate paralytica extremitatum inferiorum cum curvatura spinæ dorsi correpta, remediis aptis postea ameliorata, jam sexta vice pariente, per tres dies dolores ad partum perpessa, admodum debili, pelvi adeo coarctata, ut manus introduci non posset, diametro conjugata non magis quam $1\frac{1}{2}$ pollicem metiente, aqua ante 24 horas effusa, in nosocomio sectionem Cæsaream incisione in latere sinistro abdominis instituit. Infans vivus extractus est. Hæmorrhagia erat levis, prolapsus intestinorum operationem complicavit. Puerpera 60 fere horas post operationem sub symptomatis status collapsus et nervosi obiit. Minima pars intestinorum inflammata erat, pars uteri gangrænosa [1]).

47. 1778. Siebold in femina rhachitica, jam antea semel versionis ope admodum difficulter capite abrepto enixa, incisione in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia gravis ex læsione placentæ exorta est. Omentum prolapsum facile repositum est. Nocte insequente vomitu fortiore vulnus apertum est, intestina et omentum prolapsa et hæmorrhagia iterum exorta est. Vomitus continuavit et femina die 8vo defuncta est. — Sectione intestina et omentum partim concreta, inflammata et gangrænosa inveniebantur et in regione coeci extravasatum sangvineum [2]).

48. Deleurye in femina parva et deformi, quæ, illo judice, modo ope sectionis Cæsareæ eniti potuit, incisione in

---

[1]) W. Hunter: Bemerkungen über die Zertheil. der Schambeine. Uebers. Leipzig 1779. 8vo. p. 24 (Mich. p. 76. obs. 17). Sprengel et Michaelis operationem Vaughan, ut videtur, sine jure adscribunt.

[2]) Siebold respondente Weidmann: comparatio inter sectionem Cæsaream et dissectionem cartilaginis et ligamentorum pubis etc. Wirceburgi 1779. 4to. cfr. Richters chir. Biblioth. Bd. 5 p. 504 (Mich. 76 obs. 24).

linea alba hanc operationem instituit. Infans vivus extractus est, femina 4to die post operationem, animi pathematibus affecta, obiit. — Sectione nulla inflammationis signa inveniebantur [1]).

49. 1779. Juppin in femina rhachitica maxime deformi, annos 35 nata, sanæ constitutionis, pelvi admodum applanata prædita, 100 fere horas post initium partus et rupturam membranarum, versione incassum tentata, crure foetus abscisso, demum sectionem Cæsaream instituit, quæ sine ulla complicatione peracta est. Femina, symptomatis nervosis correpta, post 26 horas obiit [2]).

50. 1780. Obstetricans S. in femina, cui brachia foetus, quorum unum gangrænosum erat, prodierunt, conatibus inutilibus versionis instituendæ repetitis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Femina post 24 horas obiit [3]).

51. 1781. Lauverjat in femina 25 annos nata, cui diameter conjugata 15 lineas metiebatur, sectionem Cæsaream, a pluribus sociis academiæ chirurgorum necessariam judicatam, incisione in linea alba instituit. Pars intestinorum et omentum prolapsa reposita sunt. Post varia symptomata nervosa et inflammatoria femina, 100 fere horis post operationem præterlapsis, obiit. — Sectione vulnus et pars peritonæi adjacens gangrænosa inveniebantur; vesica inflammata erat [4]).

52. 1782. Obstetricans S. in femina annos 43 nata, pelvi rhachitica adeo coarctata, ut partus naturæ ope im-

---

[1]) Deleurye: observations sur la section Césarienne à la ligne blanche. übers. in Samml. d. neuest. und auserles. Abhandl. f. Wundärzte. Stück 5. p. 51 (Mich. p. 76. obs. 28).

[2]) Journal de médecine, chirurgie, pharmacie etc. Tom. 54. p. 65. (Mich. p. 76. obs. 26).

[3]) ibidem. Tom 62. p. 165. (Mich. p. 80. obs. 69).

[4]) Lauverjats neue Method. den Kaiserschn. zu machen etc. p. 168. (Mich. p. 78 obs. 52 contendit infantem vivum fuisse, quod ex solis autoris verbis „l'enfant mâle trèsfort" non certe intelligi potest.

possibilis judicatus sit, prædita, novies antea, sexies in sexto mense et ter tempestive uncorum ope, enixa, brachio prolapso, versione incassum tentata, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit et infantem mortuum extraxit. Femina die insequente obiit [1].

53. 1782 (vel 81). Terne in pago Stompfwych prope Lugdunum Batavorum in femina rhachitica, præsente van Doeveren, sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus erat. Inflammatio intestini crassi jam ante operationem exorta, postea increscens, mortem matris provocavit [2].

54. 1783. Stein in femina post nonum puerperium doloribus et paralysi fere completa extremitatum inferiorum correpta, deinde decima vice admodum difficulter versionis ope, et undecima et versionis et uncorum ope enixa, duodecima vice, pelvi magis coarctata, quam ut infans integer per pelvim transire posset, incisione in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia ex incisione integumentorum levis, ex incisione uteri et placentæ sat gravis fuit. Infans vivus non sine difficultate extractus est. Operatione peracta ovarium dextrum et pars omenti in vulnere apparuerunt, sed facile reposita sunt. Femina quarto die obiit. — Sectione omentum in vulnus uteri prolapsum et passim cum illo concretum inveniebatur, intestina passim leviter inflammata, ut etiam ovarium et tuba dextra et superficies posterior uteri [3].

55. 1785. Obstetricans, cujus nomen non cognitum

---

[1]) Journ. de médecine etc. Tom. 62. p. 167 (Mich. p. 80. obs 70).

[2]) Michel über die Schaambeintrennung, übers. von Ludvig. Leipzig 1784. 8vo. p. 219. et van der Eem: de artis obstetriciæ hodiernorum præ veterum præstantia. Lugduni Batavorum 1783 in Schlegel: Sylloge operum minorum ad artem obstetric. pertinentium. Vol. 1. Lipsiæ 1795 8vo. p. 32 (A Mich. non commemoratus).

[3]) Stein: Geschichte einer Kaisergeburt. Cassel 1783. 4to. cfr. Richters chir. Biblioth. Bd. 6 p. 428. (Mich. p. 76. obs. 23).

est, in femina parva, rhachitica, jam per triduum parturiente, versione instituta, sed capite in utero restante, etiamsi chirurgi summam operam illud extrahendi sibi dederunt, sectionem Cæsaream instituit; primum vero truncus abscissus est. Incicisione vesica urinaria læsa est. Caput difficulter extractum est. Femina septimo die obiit [1]).

56. 1786. Mevius in femina, jam per 8 dies dolores ad partum perpessa, sectionem Cæsaream instituit. Infans putrefactus erat. Femina 2 fere diebus post operationem præterlapsis, inflammatione gangrænosa correpta, obiit [2]).

57. 1786. Voitus sectionem Cæsaream instituit; mater obiit, infans vixit [3]).

58. 1787. Haas in nana deformi, prima ætate rhachitide correpta, cui diameter conjugata 2 pollices 4 lineas metiebatur, ascite et anasarca laborante, in nosocomio, in quod nonnullo tempore abhinc recepta erat, 8 fere horas post initium partus et 5 post rupturam membranarum, sectionem Cæsaream incisione in latere dextro abdominis instituit. Intestina prolapsa difficulter reposita sunt. Hæmorrhagia erat levissima. Infans vivus fuisse videtur. Femina symptomatis nervosis correpta 84 fere horas post operationem obiit. — Sectione intestina aëre maxime extensa inveniebantur, superficies interna

---

[1]) Larrouture in Journ. de méd. etc. T. 68 p. 297 Mich. hunc casum bis affert etsub nomine Larrouture et ex collectione, quam fecit Baudelocque (Mich. p. 80. obs. 71 et p. 76. obs. 25). Utraque vero relatio eundem casum respicit, et Larrouture modo hunc casum communicavit, sed minime operationem instituit.

[2]) Baldinger: Neues Magazin für Aerzte. Bd. 8. Leipsig 1786. 8vo. p. 558. (A. Mich. omissus).

[3]) Mursinna: Journ. f. d. Chir. etc. Bd. 2. Berlin 1802. 8vo. p. 275 et Schweighaüser: archives de l'art des accouchements. Tom. 1. Strasbourg an 9 (1801). p. 260. (Mich. p. 77. obs. 33).

peritonæi et omentum putrescentia et cavum uteri gangrænosum videbantur[1]).

59. 1787. Ostertag sectionem Cæsaream in femina rhachitica, cujus pelvis admodum deformis erat, instituit; et femina et infans mortui sunt[2]).

60. 1788. Weissenhorn in femina, cujus diameter conjugata 3 pollices metiebatur, sectionem Cæsaream, quam primum recusaverat, sed deinde, versione frustra tentata, permisit, infante verosimiliter mortuo, 60 fere horas post initium partus et 20 post rupturam membranarum incisione in latere sinistro abdominis instituit. Hæmorrhagia gravis (librarum 10 fere) ex læsione placentæ exorta est. Infans jam per plures dies mortuus videbatur. Post 100 fere horas femina obiit. — Sectione omentum passim gangrænosum inveniebatur, ventriculus et intestina aëre admodum expansa erant[3]).

61. 1794. Hull in femina annos 33 nata, ter antea facile enixa, post ultimum puerperium (jam per 7 annos) osteomalacia affecta, corpore magis magisque decrescente, cui diameter conjugata introitus pelvis $2\frac{1}{4}$ poll. metiebatur et exitus admodum coarctatus erat, 12 horas post initium partus et profluxum liquoris Amnios incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est. Hæmorrhagia erat levis. Femina symptomatis nervosis correpta, 22 horis post operationem præterlapsis, obiit. — Sectione nulla inflammationis signa reperta sunt[4]).

---

[1]) Haas: Geshichte eines Kaiserschn. cfr. Richters chir. Biblioth. Bd. 8. p. 705 (Mich. p. 76. obs. 27)

[2]) Schweighäuser l. c. T. 1. p. 261. (A Mich. omissus.)

[3]) Weissenhorn: Programma sistens observationes de partu Cæsareo etc. Erford. 1792. cfr. Starks Archiv f. d. Geburtshülfe etc. Bd. 4. Jena 1792. 8vo. p. 703. (A. Mich omissus.)

[4]) Hull: A defence of the Cæsarean Operation etc. Manchester 1798. 8vo. p. 172 (A Mich. omissus.)

62. 1795. Hamilton in femina, quinta vice pariente, antea ter naturæ ope feliciter enixa, post tertium puerperium osteomalacia correpta cum tali debilitate extremitatum inferiorum, ut postea ameliorata sine usu fulcimentorum alarium ingredi haud valeret, et dein quarta vice admodum difficulter enixa, cui pelvis maxime coarctata erat, apertura superior formæ triangularis in latere sinistro adeo angusta, ut unus tantum digitus immitti posset, in latere dextro parum amplior, in "Edinburgh General Lying-in Hospital". 56 fere horas post initium partus, et 38 post rupturam membranarum sectionem Cæsaream incisione in latere dextro abdominis instituit. Pars intestinorum prolapsa facile reposita est. Infans putridus erat. Femina 31 horis præterlapsis obiit. Superficies externa intestinorum inflammata erat [1]).

63. 1797. Coutouly in femina, nonnullis annis abhinc ob tumorem cancrosum vaginæ quam difficillime ope dissectionis foetus enixa, ob eandem causam incisione transversa ad modum Lauverjat sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia erat levis, pars intestinorum prolapsa facile reposita est. Infans vixit, mater 114 horas post operationem obiit. — Sectione intestina inflammata erant, et inter se cohærebant, in jejuno macula gangrænosa, in fossa lumbali dextra extravasatum sangvineum inveniebantur [2]).

64. 1798. Kay in femina osteomalacia correpta, extremitates sine auxilio movere haud valente, per triduum dolores ad partum perpessa, sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est, mater die 11mo obiit [3]).

---

[1]) Hamilton: Outlines of Midwifery. Fifth edition. Edinburgh. 1806. 8vo. p. 299. (A Mich. non commemoratus.)

[2]) Recueil périod. de la soc. de méd. T. 34. p. 277. (Mich. p. 79. obs. 65.)

[3]) Hull: A defence etc. p. 65. (A Mich. haud commemoratus.)

65. 1798. Eck in femina annos 32 nata, admodum deformi cum cruribus incurvatis, cui diameter conjugata aperturæ superioris 2 pollices et 1 lineam metiebatur, per 4 dies parturiente, membranis ante duos dies ruptis, sectionem Cæsaream incisione in linea alba instituit. Infans mortuus difficulter extractus est. Hæmorrhagia erat levissima. Femina post varia fata die vicesimo obiit, postquam die antecedente vermis ex vulnere abierat. — Sectione vulnus abdominis in angulo superiori ope telæ cellulosæ, motu cadaveris jam direptæ, quæ ab utroque latere vulneris oriebatur et cum peritonæo et musculis transversis conjuncta erat, consolidatum inveniebatur. Pars consolidata vulneris cum omento concreta erat. In hac concretione canalis erat, qui ad coecum perforatum ducebat. Cavum abdominis et pelvis pure laudabili impletum erat[1]).

66. 1798. Chirurgus in "Epinal" in femina singulariter contorta, cujus diameter conjugata introitus pelvis vix 2 pollices metiebatur, per 36 horas dolores ad partum perpessa, sectionem Cæsaream incisione in linea alba instituit. Infans vixit. Femina post 60 horas obiit[2]).

67. 1798. Hull in femina prima ætate rhachitide affecta, cujus diameter conjugata superior 1 pollicem et 5 lineas metiebatur, jam per 10 dies dolores ad partum perpessa et per ultimos 5 dies convulsionibus correpta, incisione transversa sectionem Cæsaream instituit, et infantem, ut videbatur, jam per plures dies mortuum, extraxit. Intestina prolapsa difficulter tantum reposita sunt. Hæmorrhagia erat levis. Post operationem magis ma-

---

1) Thom: Erfahrungen u. Bemerkungen aus der Arznei-, Wundarznei- u. Entbindungswissenschaft. Frankfurt a. M. 1799. 8vo. p. 159. Mich. (p. 77. obs. 32) sine jure Thom operationem instituisse contendit.

2) Baudelocque in recueil périod. etc. T. 5. p. 418. (Mich. p. 80. obs. 75.)

gisque collapsa est, et post 6 horas obiit. — Sectione nulla inflammationis signa inveniebantur [1]).

68. 1798. Klein in femina annos 36 nata, cujus diameter conjugata superior 2 pollices et 8 lineas metiebatur, per 20 horas dolores ad partum perpessa, membranis integris, incisione in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Pars intestinorum prolapsa est et uterus, placenta sponte soluta, inversus. Infans vivus, sed non maturus, extractus est. Symptomata nervosa et inflammatoria accesserunt, et post triduum femina obiit. — Sectione signa levis inflammationis intestinorum inveniebantur [2]).

69. 1799. Baudelocque in femina, cujus diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$ poll. æstimata est, jam per 34 horas dolores ad partum perpessa, liquore Amnios ab initio partus profluere incipiente, in nosocomio facultatis medicæ Parisiensis incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Pars intestinorum et omenti post operationem prolapsa reposita est. Femina symptomatis nervosis correpta 27 vel 28 horas post operationem obiit. — Sectione in cavo uteri et inter uterum et peritonæum coagula sangvinea ponderis fere unciarum 6 inveniebantur, nulla vero inflammationis signa, si serum parcum in imo ventre excipias. Infans asphycticus resuscitatus post 4 horas obiit [3]).

70. 1799. Wood sectionem Cæsaream in Elisabeth Thomson, cujus pelvis adeo coarctata erat, ut duo digiti immitti non possent, et diameter conjugata superior 1 tantum pol-

---

1) Hull: A defence etc. Manchester 1798. 8vo. p. 162. (A Mich. haud commemoratus.)

2) Loders Journ. f. d. Chir., Geburtsh. etc. Bd. 2. Jena 1800. 8vo. p. 744. (Mich. p. 77. obs. 37.)

3) Baudelocque in recueil périod. etc. T. 5. p. 435. (Mich. p. 80. obs. 74.)

licis æstimata est, 20 horas post initium partus in "the Manchester Lying-in Hospital" instituit. Infans mortuus est. Mater 36 horis post operationem præterlapsis obiit. — Sectione gangræna colli uteri inveniebatur [1]).

71. 1800. John Bell in femina, pelvi admodum distorta prædita, sectionem Cæsaream incisione in latere dextro abdominis prope lineam albam instituit. Placenta læsa est, unde hæmorrhagia gravis exorta est. Infans vivus extractus est. Mater mox post operationem vomitu gravissimo correpta est, et brevi post obiit [2]).

72. 1800. Hunold in femina annos 42 nata, cujus diameter conjugata superior 1 pollicem metiebatur, jam per 12 fere horas dolores ad partum perpessa, membranis, ut videtur, integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. 24 horis post operationem præterlapsis, femina, symptomatis nervosis correpta, obiit. — Sectione superficies ilii passim inflammata inveniebatur, et in vulnere extravasatum sangvineum fere unciarum ij [3]).

73. Ostertag incisione in linea alba sectionem Cæsaream in femina admodum parva, cujus diameter conjugata $1\frac{1}{2}$ pollicem metiebatur, instituit. Infans mortuus erat, et femina die insequente obiit [4]).

---

1) Memoirs of the medical society of London. Vol. 5. cfr. the London medical review. Vol. 2. 8vo. London 1800 p. 361 et Vol. 3. p. 381. et Merrimann: Die regelwidrigen Geburten, übers. von Kilian. Mannheim 1826. 8vo. p. 320. (Mich. p 77. obs. 33.)

2) Merrimann l. c. p. 320; præterea etiam Charles Bell in medico-chirurgical transactions. Vol. 4. Second edition. London 1819. 8vo. p. 350. (Mich. hunc casum ad hoc seculum (p. 137. obs. 3) refert; sed eum ex computatione omittit.)

3) Stein: Geburtshülfliche Abhandl. Heft 1. Marburg 1803. 8vo. p. 17. (Mich. p. 76. obs. 18.)

4) Schweighäuser: archives de l'art des accouchemens. T. 1. p. 260. (A Mich. non commemoratus.)

74. Young in femina, vomitu forti per 3 hebdomades laborante, admodum debili, sectionem Cæsaream instituit. Caput infantis adeo firme in pelvi inclavatum erat, ut necesse esset, illud vi per vaginam adhibita reprimere. Infans vivus natus est. Femina obiit [1]).

75. Young in alia femina operationem instituit in nosocomio Edinburghensi "the Royal infirmery." Femina tussi vehementi post operationem correpta post 3 dies obiit [2]).

76. Geiseler sectionem Cæsaream in nosocomio Berolinensi "die Charité" dicto instituit. Mater mortua est. Infans vixit [3]).

77. In femina, in qua Haudry et Verdier antea cum successu sectionem Cæsaream instituerunt, chirurgi quidam pagani, applicatione forcipis incassum tentata, iterum operationem instituerunt; mater 8 vel 10 dies post operationem obiit [4]).

78. Serres in femina admodum contorta, in infantia rhachitide correpta, cui diameter conjugata introitus pelvis $1\frac{3}{4}$ poll. metiebatur, jam per triduum dolores ad partum perpessa, liquore Amnios ante 24 horas profuso, incisione in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Femina initio sat bene sese habens, dein symptomatis nervosis correpta, sexto die obiit. — Sectione viscera abdominalia haud inflammata inveniebantur, in abdomine vero prope fossam iliacam dextram extravasatum albidum lochiis simile [5]).

---

1) Hull: A defence of the Cæsarean Operation etc. p. 66. (A Mich. non commemoratus.) cfr.: Die regelwidrigen Geburten von Merrimann, übers. v. Kilian. Mannheim 1826. 8vo. p. 318.

2) Ibidem. cfr. Merrimann l. c. p. 318. (A Mich. non commemoratus.)

3) Mursinna in Mursinnas Journ. f. Chir. etc. Bd. 2. p. 273. (Mich. p. 77. obs. 38.)

4) Baudelocque in recueil périod. etc. T. 9. p. 391. (Mich. p. 81. obs. 76.)

5) Baudelocque ibidem. T. 5. p. 428. — Michaelis hunc casum bis

79. A. Wood sectionem Cæsaream in femina, quæ obiit, cujus vero status et ante et post operationem cæterum mihi plane incognitus est, perfecit. Infans mortuus est[1]).

80. 1800 (?). Dunlop iu Rochdale feminam osteomalacia correptam secuit. Infans vixit. Puerpera obiit[2]).

---

81. 1802. Mursinna in femina annos 28 nata, parva, in nososomium Berolinense "Charité" dictum recepta, postquam liquor Amnios jam triduo abhinc profluere inceperat, doloribus ad partum initio levibus, postea vero sat fortibus, cui diameter conjugata superior haud 2 pollices metiebatnr et vagina inflammata erat, sectionem Cæsaream incisione in linea alba instituit. Infans asphycticus, postea vero resuscitatus, difficulter extractus est. Intestina, aëre admodum expansa, difficulter reposita sunt. Puerpera 42 fere horis post operationem præterlapsis, symptomatis nervosis affecta, obiit. — In cavo uteri et abdominis coagula sangvinea sectione reperta sunt. Ren dextrum, superficies posterior vesicæ urinariæ et vagina admodum inflammata et intestina passim leviter inflammata erant. Vulnus uteri non conglutinatum erat[3]).

---

affert ex eadem autoritate et sub nomine Servaz et Terres (p. 77. obs. 36. et p. 80. obs. 73.). Res vero ita se habet: operatio a Serres instituta est et a Tarbes communicata. Ultimo loco Michaelis etiam annum 1773, minime vero suo jure affert, cum hic annus omnino non commemoratus sit.

1) Hull: A defence etc. p. 66. cfr. Hamilton: Outlines of Midwifery p. 293. (A. Mich. haud commemoratus.)

2) The London medical review. T. 7. London 1802. 8vo. p. 348. et Merrimann: Die regelwidr. Geburt. etc., übers. v. Kilian p. 320, ex Two memoirs on the Cæsarean operation translated by John Hull. London 1801. 8vo.

3) Mursinna: Journ. f. d. Chir., Arzneikunde u. Geburtsh. Bd. 2. Berlin 1802. 8vo. p. 247. (Mich. p. 81. obs. 1.)

82. 1803 (1804?). Wiedemann in femina, annos 30 nata, prime ætate rhachitide laborante, admodum deformi, cui 12 fere horis abhinc membranæ ruptæ erant, et dolores ad partum inceperant, diametro conjugata introitus pelvis $2\frac{1}{4}$ pollices metiente, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Placenta parum læsa est. Infans, primum asphycticus, mox resuscitatus est. Puerpera, symptomatis nervosis correpta, 5 diebus præterlapsis obiit. — Sectione nulla inflammationis signa inventa sunt [1]).

83. 1804 (?). Ohle sectionem Cæsaream instituit. Puerpera 5to die peritonitide correpta obiit [2]).

84. 1805. Walker in femina, antea sexies facile enixa et, dein osteomalacia semper increscente correpta, septima vice difficulter, pelvi jam admodum deformata, 18 horas post initium partus incisione in linea alba novacula facta sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus est. Puerpera 4to die obiit [3]).

85. 1805 (?). Weise sectionem Cæsaream vi et contra voluntatem parturientis, quæ 5to die post operationem obiit, instituit [4]).

86. 1805 (?). Ficker in femina annos 35 nata, in infantia rhachitide admodum correpta, diametro conjugata superiori pollicem, tantum metiente, sectionem Cæsaream instituit. Omentum et pars intestinorum tenuium prolapsa difficulter re-

---

[1]) Siebolds Lucina. Bd. 1. Stück 3. 8vo. Leipzig 1804. p. 378. (Mich. p. 82. obs. 2.)

[2]) Salzburg. med.-chir. Zeitung. Ergänzungsbd. 110. p. 314. (Mich. p. 82. obs. 3.)

[3]) Michaelis p. 83. obs. 6. ex Nägele: Erfahrung. u. Abhandl. ü. d. Krankh. d. weibl. Geschleht. Mannheim 1812. p. 407.

[4]) Ohle: Observationes anat.-chir. Dresden 1806. 4to. cfr. Salzburg. med.-chir. Zeit. 1806. Bd. 2. p. 75. (Mich. p. 84. obs. 7.)

posita sunt. Infans vixit. Mater 20mo die post operationem obiit. — Sectione abscessus in abdomine inventus est[1]).

87. 1805. Osiander in Xenodochio Gottingensi in femina annos 34 nata, cui diameter conjugata superior vix $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, membranis ruptis, conatibus forcipis applicandæ et versionis instituendæ fallentibus, incisione obliqua sectionem Cæsaream instituit. Infans debilis haud longe in vita progressus est. Femina 36 horis præterlapsis obiit. — Sectione inflammatio peritonæi et intestinorum inventa est[2]).

88. 1805. Servaes in femina rhachitica, diametro conjugata superiori 2 pollices et 5 lineas metiente, versione et forcipe incassum adhibitis, abdomine admodum dolente, collo uteri dilacerato et inflammato, 48 fere horas post initium partus incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans debilis post dimidiam horam obiit. Hæmorrhagia ex solutione placentæ sat notabilis erat (libr. 3—4). Cum uterus sese contrahere inciperet, singultus et vomitus accesserunt, quæ symptomata repositionem omenti et intestinorum difficilem reddiderunt. Animi pathematibus valde affecta post 3 dies obiit. — Sectione peritonæum et omentum graviter inflammata et passim gangrænosa inventa sunt[3]).

89. 1806. Michaelis in femina annos 22 nata, in infantia rhachitide correpta, diametro conjugata 2 pollices et 8 lineas metiente, 36 fere horas post initium partus et rupturam membranarum, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Placenta, sub conatibus infantem extrahendi, ante extractionem capitis soluta, utero se fortiter contrahente et

---

1) Salzb. med-chir. Zeit. 1806. Bd. 3. p. 231. ex Ficker: Medicinische Miscell. Bd. 2. Paderborn 1806. 8vo. (Mich. 85 obs. 11.)

2) Osiander in Commentationibus societatis Regiæ Gottingensis. Vol. 2. Gottingæ 1813. 4to. p. 4. (Mich. p. 83. obs. 5.)

3) Siebolds Journ. etc. Bd. 2. p. 426. (Mich. p. 82. obs. 3.)

collum foetus constringente, necesse fuit, vulnus uteri dilatare, quo facto, infans vivus, etiamsi ut videtur asphycticus, extractus est. Hæmorrhagia gravissima ex utero se contrahente exorta demum mitigata est. Puerpera symptomatis nervosis correpta 127 horis post operationem præterlapsis obiit. — Sectione intestina, aëre admodum extensa, inflammata et inter se conglutinata inventa sunt, omentum inflammatum erat et prope vulnus abdominis, ut coecum quoque, gangrænosum [1]).

90. 1806. Osiander in Xenodochio Gottingensi in femina annos 28 nata, cui diameter conjugata superior 2 poll. 4 lin. metiebatur, 24 fere horas post initium partus, versione et applicatione forcipis incassum tentatis, solito modo sectionem Cæsaream instituit. Foetus fuit exanimis, mater 4to die obiit. — Sectione ren dexter et uterus gangrænosi inventi sunt [2]).

91. 1807. Burkhardt in femina antea a Mangold et Balber (obs. 32 et 39) secta, jam per 12 horas dolores ad partum intensos perpessa incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Femina 22do die post operationem inflammatione imi ventris refrigerio contracta obiit [3]).

92. 1808. Häsner in femina annos 35 nata, in infantia rhachitide correpta, diametro conjugata introitus pelvis 2 pollices 5 lineas metiente, 130 fere horas post initium dolorum frequentium et intensorum et rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia erat levissima. Infans asphycticus postea resuscitatus sat difficulter extractus est. Puerpera symptomatis nervosis correpta, 100 horis post operationem præterlapsis, obiit. — Sectione serum foetidum, saponi simile in cavo abdominis inventum est, peri-

---

[1]) Siebolds Lucina. Bd. 5. p. 87. (Mich. p. 85. obs. 10.)

[2]) Osiander in Comment. soc. Reg. Gotting. etc. (Mich. p. 84. obs. 9.)

[3]) Ibidem. Vol. 2. p. 22. (Mich. p. 84. obs. 8.)

tonæum cum superficie anteriori uteri conglutinatum erat, cæterum omnia organa sana visa sunt[1]).

93. 1807. Froriep in clinico Tübingensi ob diametrum conjugatam ad pollicem 1 coarctatam incisione in linea alba sectionem-Cæsaream instituit. Infans vixit, mater quinto die obiit[2]).

94. 108. K. in Kronenberg prope Solingen in femina antea sexies vel septies feliciter enixa, jam in sexta graviditatis mense, sine necessitate, ut videtur, sectionem Cæsaream instituit. Magna intestinorum pars prolapsa est. Puerpera eodem die obiit[3]).

95. 1809. Baudelocque in nosocomio Parisiensi "la maternité" in femina rhachitica annos 25 nata, cui diameter conjugata superior 15—18 lin. metiebatur, 4 horas post initium partus sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus resuscitatus est. Mater 65 horas post operationem, peritonitide correpta, obiit. Pars intestinorum per angulum inferius vulneris externi prolapsa fuit, hæmorrhagia bis exorta est. — Sectione serum sangvinolentum in abdomine inventum est. Omentum et colon vulneri uteri adhærebant[4]).

96. 1808. Obstetricans quidam, ut refert Osiander, in femina, cui diameter conjugata 2½ poll. metiebatur, sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Mater optime sese habuit, usque dum septimo die, post animi pathema symptomatis nervosis et febri intensa correpta est; insequente die obii[5]).

---

1) Siebolds Lucina. Bd. 6. Stück 1. p. 57. (Mich. p. 86. obs. 14.)

2) Michaelis etc. p. 86. obs. 15. ex Wanner: Dissert. adnotationes sistens ad sect. Cæsar. Tübingen 1825. p. 4. obs. 17.

3) G. W. Stein d. j. Annal. d. Geburtsh. Stück 1. 8vo. Leipzig 1808. p. 259. (A Mich. non commemoratus.)

4) Lachapelle: Pratique des accouchemens. T. 3. Paris 1825. 8vo. p. 505.

5) Osiander: Handbuch d. Entbindungskunst. Bd. 2. Abtheil. 2 p. 318. (Mich. p. 129. obs. 4. hunc casum inter incertos rejecit.)

97. 1809. Sander in femina rhachitide summe deformata, incisione longitudinali in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera nonnullis diebus præterlapsis post animi pathema obiit [1]).

98. 1809. Baudelocque in nosocomio obstetricio "la maternité" in femina rhachitica, annos 37 nata, 50 horas post initium partus ct 15 horas post rupturam membranarum sectionem Cæsaream prolapsu notabili intestinorum difficilem redditam instituit. Infans vixit. Mater peritomtide, jam ante partum incipiente, correpta post 43 horas obiit [2]).

99. 1811. Weyland in femina, antea bis feliciter enixa, per 8 annos osteomalacia laborante, diametro conjugata pollicem 1 metiente, tuberositatibus ossis ischii 3 lineas tantum inter se distantibus, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus erat. Puerpera secundo die spasmis correpta obiit [3]).

100. 1811. Ramoux et Ansiaux in femina per 4 dies parturiente, convulsionibus correpta, diametro conjugata superiore vix poll. 2 metiente, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituerunt. Infans mortuus erat. Puerpera post 24 horas obiit. — Sectione coagula sangvinea cavum uteri implentia inventa sunt [4]).

101. E. v. Siebold in clinico obstetricio Wirceburgensi, in femina annos 27 nata, in infantia rhachitide correpta, diametro conjugata superiori 2 poll. 8 lin. metiente, 34 horas

---

[1]) Michaelis l. c. p. 86. obs. 16. ex Salzb. med.-chir. Zeitung. Ergänzungsbd. 34. p. 271.

[2]) Lachapelle l. c. T. 3. p. 506. (A Mich. non commemoratus.)

[3]) Michaelis p. 87. obs. 18. ex Stein: Annal. d. Geburtsh. Stück 5. p. 225.

[4]) Ibidem obs. 19. ex Ansiaux: clinique chirurgicale. Liège 1816. p. 63.

post initium partus, aqua jam antea lente profusa, incisione obliqua ad modum Stein sen. sectionem Cæsaream instituit. Incisione uteri placenta læsa est, unde hæmorrhagia gravis per aliquod tempus durans et syncope exortæ sunt. Infans asphycticus resuscitatus est. Omentum et intestina prolapsa mox reposita sunt. Puerpera 8 dies post operationem obiit. — Sectione omentum et intestina inflammata et inter se conglutinata inventa sunt, et in cavo peritonæi extravasatum purulentum [1]).

102. 1841. H. Kellie in femina, annos 27 nata, antea ter feliciter enixa, post tertium puerperium osteomalacia correpta, uude partus quartus sat difficilis factus fuit, naturæ tamen ope peractus, postea increscente, ita ut per 3 ultimos annos ob paralysin extremitatum inferiorum, lectum tenere coacta fuerit, pelvi admodum distorta et coarctata prædita, 36 fere horas post initium partus et rupturam membranarum incisione in latere sinistro abdominis secundum musculum rectum sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus facile extractus est. Magna pars intestinorum, jam inflammatione affectorum, prolapsa est. Mater post 19 horas obiit. — Sectione intestina inflammata inventa sunt, et extravasatum seroso-sangvinolentum in cavo abdominis; ossa pelvis parum flexibilia erant [2]).

103. 1811. Le Maitre in femina, antea bis ab illo secta (obs. 42 et 45), tertia vice enitente incisione, in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera quinto die obiit. — Sectione in superficie anteriore uteri apertura inventa est, adeo lata, ut duo digiti introduci possent, in illa cicatrices post operationes anteriores concurrebant [3]).

---

[1]) Siebolds Journ. f. Geburtsh. etc. 8vo. Bd. 1. St. 2. p. 279. (Mich. p. 87. obs. 20.)

[2]) Edinburgh medical and surgical journal. Vol. 8. p. 11. Edinburgh 1812. 8vo. (A Mich. p. 137. obs. 2 in computationem non acceptus.)

[3]) Recueil périod. etc. T. 44. (Mich. p. 53. et p. 88. obs. 21.)

104. 1812. Boer in femina admodum parva et distorta, cui diameter conjugata superior coarctata erat, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Mater quarto die obiit [1]).

105. 1813. Leydig in femina annos 33 nata, sana, quæ exostosin, aperturam inferiore pelvis inplentem, lapsu sibi contraxerat, admodum collapsa, jam per 5 fere dies dolores ad partum perpessa, urina punctione vesicæ evacuata, incisione longitudinali in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Infans jam putridus erat. Die quinto post operationem puerpera obiit. — Sectione extravasatum purulentum in cavo abdominis inventum est, intestina et uterus inflammata erant [2]).

106. 1813. Schlegel in femina, annos 36 nata, pelvi normali prædita, cujus vagina septo transverso, foraminulis nonnullis perforato, in partem superiorem et inferiorem divisa erat, 48 fere horas post initium partus et rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est. Ob atoniam uteri placenta manuum ope soluta est, unde hæmorrhagia gravis demum sedata et syncope exortæ sunt. Pars omenti prolapsa sponte reposita est. Puerpera 48 horas post operationem symptomatis inflammatoriis correpta obiit. — Sectione intestina crassa et omentum passim gangrænosa inveniebantur [3]).

107. 1814. Kinder Wood in femina, annos 34 nata, quinquies antea feliciter enixa, postea osteomalacia correpta,

---

1) Boer: Sieben Bücher über natürl. Geburtsh. Wien 1834. 8vo. p. 452. (A Mich. omissus.)

2) Gemeins. deut. Zeitschr. Bd. 6. p. 328. ex Eli de Haber: dissert. inaug. casum rarissimum partus exhibens etc. Heidelbergæ 1830. 4to (Mich p. 88. obs. 22.)

3) Nyt Biblioth. f. Læger etc. Bd. 2 p. 39. Kiöbenhavn 1815. 8vo. (Mich. p. 89. obs. 24.)

membranis jam ante 31 fere horas ruptis, doloribus sat intensis, pelvi adeo coarctata, ut unus tantum digitus per introitum pelvis transmitti posset, genitalibus externis gangrænosis, sine dubio ob explorationem rudem sæpius repetitam, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia erat levissima, infans mortuus extractus est. Puerpera decem horis post operationem præterlapsis obiit. — Sectione peritonæum admodum rubrum et inflammatum inventum est [1]).

108. 1816. Assalini in femina rhachitica, cui diameter minima modo 2 poll. metiebatur, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus resuscitatus est. Puerpera tertio die symptomatis nervosis correpta, obiit. — Sectione nulla inflammationis signa inventa sunt [2]).

109. 1816 (?). Monteggia in femina antea quinquies feliciter enixa, post quartum puerperium osteomalacia correpta, unde curvatura spinæ dorsi et tanta coarctatio pelvis, ut 2 digiti vix immitti possent, exortæ sunt, sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est, mater obiit [3]).

110. 1817 (?). Meierhäuser sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit, mater obiit [4]).

111. 1820. G. W. Stein jun. in clinico obstetricio Bonnensi in femina annos 42 nata, antea sexies enixa, post ultimum puerperium ante tres annos osteomalacia summe correpta, ita ut ossa pressioni aliqua vi institutæ cedere viderentur,

---

1) Medico-chirurgical transactions. Vol. 7. Second edition. 8vo. London 1819. p. 264. (A. Mich. haud commemoratus.)

2) Michaelis p. 87. obs 17. ex Assalini: nuovi stromenti di ostetricia e loro uso. Milano 1811. Appendice p 18.

3) Recueil périod. etc. T. 61. p. 77. (A Mich. non commemoratus.)

4) Biblioth. d. pract. Heilkunde v. Hufeland u. Osann. Bd. 47. Berlin 1822. 8vo. p. 333. (Mich p. 90. obs. 25.)

cui pelvis adeo coarctata erat, ut duo tantum digiti immitti possent, 12 fere horas post initium partus et rupturam membranaram sectione sua diagonali sectionem Cæsaream instituit. Parva intestinorum pars prolapsa facile reposita est. Infans vivus extractus est. Paucis horis præterlapsis dolorem abdominis accusans obiit. — Sectione intestina parum rubra inventa sunt [1].

112. 1820. Van Buren in femina Æthiope, jam per 48 horas parturiente, ob concretionem labiorum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit, mater sexto die post operationem obiit [2].

113. 1820. Henderson in femina annos 30 nata, antea ter facile, deinde osteomalacia correpta, quarta vice difficulter enixa, jam admodum emaciata, per 4 annos lectum tenere coacta, quinta vice parturiente, pelvi admodum coarctata prædita, 32 horas post initium dolorum fortium incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Placenta soluta uterus circa collum infantis sese constrinxit, ita ut haud sine difficultate infans vivus extractus sit. Magna pars intestinorum prolapsa difficulter reposita est. Hæmorrhagia erat sat levis (℥viij-ix). Post 18 horas obiit. — Sectione vulnus externum sat fortiter conglutinatum inventum est, cæterum omnia organa sana erant, si extravasatum seroso-sangvineum (℥ij) in cavo peritonæi exceperis [3].

114. 1820. Oesterlen in femina rhachitide admodum

---

1) G. W. Stein: Die Lehranstalt der Geburtshülfe zu Bonn. Heft. 1. Elberfeld 1823. 8vo. p. 80. (Mich. p 91. obs. 28.)

2) London med. and physical Journ. etc. Vol. 49. (Mich. p. 95. obs. 40.)

3) Edinburgh. med.-and surg. journ. Vol. 17. p. 105. (Mich. p. 137. obs. 4. hunc casum in computationem non accipiens, sine jure contendit, infantem fuisse mortuum.)

deformata, diametro conjugata vix 2 poll. metiente, jam per 3 dies dolores ad partum perpessa, aqua per 2 dies profusa, incisione obliqua in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus ob contractionem uteri difficulter extractus est. Puerpera post 6 horas obiit. — Sectione superficies interna uteri gangrænosa inventa est [1]).

115. 1820—21. Bongiovanni in clinico obstetricio, quod Paviæ floret, ob angustiam pelvis sectionem Cæsaream instituit. Infans jam mortuus erat, mater post 50 horas obiit [2]).

116. 1821. Berger in femina annos 29 nata, rhachitide deformata, diametro conjugata cavi pelvis $2\frac{1}{2}$ poll. metiente, (quamdiu aqua profusa fuerit et partus duraverit haud certe intelligi potest) incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus resuscitatus est. Intestina prolapsa reposita sunt. Puerpera 4 dies post operationem peractam obiit. — Sectione intestina parum rubra exsudato lymphatico obtecta, et superficies interna uteri materie fragili nigrescenti obtecta inveniebantur [3]).

117. 1821. D'Outrepont in clinico obstetricio Wirceburgensi in femina annos 31 nata, prima ætate rhachitide correpta, cui diameter conjugata superior modo $1\frac{3}{4}$ poll. metiebatur, post profluxum aquæ incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit; mater 7mo die post operationem obiit. — Sectione in abdomine nulla inflammationis signa inventa sunt, pulmones vero hepatisatæ erant [4]).

---

1) Michaelis p. 90. obs. 27 ex Gräfe u. Walthers Journ d. Chir. etc. Bd. 4. p. 1.

2) Omodei annali univers. etc. 1821. (Mich. p. 93. obs. 34 et præterea ex autoritate Wanner inter casus dubios p. 129. obs. 2.)

3) Siebolds Journ. etc. Bd. 5. p. 142. (Mich. p. 91. obs. 29.)

4) Salzburg. med.-chir. Zeitung 1822. Bd. 4. p. 251 et Papius: Geschichte eines Kaiserschnittes. Würzburg 1827. 8vo. (Mich. p. 92. obs. 32.)

118. 1821 Béclard in nosocomio Parisiensi "la maternité" in femina annos 24 nata, in infantia rhachitide laborante, cui diameter conjugata superior 2 poll. $3\frac{1}{4}$ lin. metiebatur, jam valde affecta cum facie collapsa, 96 fere horas post initium partus et 84 post rupturam membranarum, infante se non diutius movente, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans debilis vixit. Mater post 5 dies symptomatis inflammatoriis et nervosis correpta obiit. — Sectione organa chylopoietica inter se conglutinata, et passim extravasato purulento (℔j fere) separata, et peritonæum rubrum inventa sunt [1]).

119. 1821. Kottmann in femina antea ter sat feliciter enixa, postea osteomalacia correpta, pelvi admodum distorta et coarctata prædita, dolores ad partum per 13 horas perpessa, liquore Amnios 7 horis abhinc profuso, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est. Hæmorrhagia sat gravis erat. Puerpera symptomatis nervosis correpta 31 horis post operationem præterlapsis obiit. — Sectione, qua abdomen tantum examinatum est, nec extravasata sangvinea nec signa inflammatoria inventa sunt [2]).

120. 1821. Hempel in femina annos 31 nata, osteomalacia correpta, pelvi adeo coarctata prædita, ut, digitus 1 tantum in aperturam inferiorem introduci posset, jam per 24 horas parturiente, aqua profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus extractus est. Puerpera post 18 dies in statu collapsus (an Erschöpfung) obiit. — Sectio haud permissa est [3]).

---

[1]) Lachapelle: pratique des accouchemens etc. T. 3. p. 300. (Mich. inter casus incertos p. 129. obs. 3. sub nomine Beilard.)

[2]) Harless: Rheinische Jahrb. f. Med. u. Chir. etc. Bd. 6. Stück 2. p. 76. Elberfeld 1822. 8vo. Michaelis sine jure hunc casum omnibus rationibus satis bene affirmatum inter casus incertos transmisit (p. 131. obs. 11.)

[3]) Rust: Magazin für die ges. Heilkunde. Bd. 15. p. 126. (Mich. p. 91. obs. 30.)

121. 1821. Dybeck in clinico obstetricio (Varvosiensi?) in nana, cui diameter conjugata superior $1\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit, mater 5to die post operationem obiit[1]).

122. 1821. Ritgen in femina antea ter, et bis quidem sat facile, enixa, postea osteomalacia correpta, cui diameter conjugata introitus pelvis $2\frac{1}{4}$ poll. metiebatur, 24 fere horas post initium dolorum ad partum, gastroelythrotomia primum ob hæmorrhagiam gravem incassum tentata, sectionem Cæsaream incisione obliqua ad modum Stein jun. instituit. Infans vivus extractus est. Puerpera post 60 fere horas symptomatis nervosis correpta obiit. — Sectione nulla inflammationis signa inventa sunt, extravasatum vero sangvineum, libræ 1 æstimatum, in cavo peritonæi et aliud in cavo uteri[2]).

123. 1822. Rust in femina annos 35 nata, rhachitide admodum deformata, diametro conjugata superiore $2\frac{1}{2}$ poll. metiente, jam per 12 fere horas parturiente, aqua nuperrime profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infante vivo extracto, magna intestinorum pars prolapsa est. Puerpera 5to post operationem die obiit. — Sectione inflammatio et gangræna intestinorum et extravasatum nigrescens, putridum inventa sunt[3]).

124. 1822—23. Bongiovanni in clinico obstetricio Patavino in femina annos 35 nata, octies enixa, deinde osteomalacia correpta, unde pelvis adeo distorta et coarctata fuit, ut

---

1) Hufeland: Journ. d. pract. Heilk. Bd. 56. Stück 5. p. 100. Berlin. 8vo. (Mich. p. 93. obs. 33.)

2) Heidelberger clinische Annalen. Bd. 1. p. 263. Heidelberg 1825. 8vo. (Mich. p. 92. obs. 31.)

3) Siebolds Journ. f. Geburtsh. Bd. 13. Stück 1. (A Mich. non commemoratus quia primum, postquam ille suam collectionem finiverat, descriptus est.)

jam in partu 13tio sectio Cæsarea necessaria esset, hanc operationem instituit. Mater, symptomatis inflammatoriis correpta, 6 diebus post operationem præterlapsis, obiit [1]).

125. 1822—23. Bongiovanni in clinico obstetricio Patavino sectionem Cæsaream in femina rhachitica, quæ secundo die post operationem symptomatis inflammatoriis correpta obiit, instituit [2]).

126. 1823. Decke et Eichelberg in femina annos 36 nata, antea quater facile enixa, postea osteomalacia correpta, pelvi admodum coarctata, 38 fere horas post initium partus et 36 horas post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituerunt. Caput, quod in pelvi inclavatum erat, manus ope, per vaginam in uterum immissæ, repressum est. Infans asphycticus mox resuscitatus est. Magna pars intestinorum per vulnus nocte insequente prolapsa, mane jam inflammata fuerunt et difficulter reposita sunt. Puerpera 36 horas post operationem obiit. — Sectione intestina aëre expansa, et peritonæum admodum inflammata inventa sunt [3]).

127. 1823 (1824?). Bongiovanni in clinico obstetricio Patavino in femina annos 18 nata, rhachitica, diametro conjugata introitus pelvis $2\frac{3}{4}$ poll. metiente, membranis 2 fere diebus abhinc ruptis, doloribus ad partum sat fortibus per idem temporis spatium affecta, applicatione forcipis et versione in nosocomio incassum tentatis, demum sectionem Cæsaream instituit et infantem mortuum extraxit. Puerpera 30 fere horis

---

[1]) Salzburger med.-chir. Zeitung 1825. Bd. 3. p. 225. ex Omodei annali universal. etc. Vol. 29. (Mich. p. 97. obs. 43.)

[2]) Ibidem p. 226. ex Omodei ann. univers. etc. Vol. 29. (Mich. p. 97. obs. 42.)

[3]) Rust: Magazin f. d. H. Bd. 17. p. 567. et Siebolds Journ. etc. Bd. 5. p. 122. (Mich. p. 93. obs. 35.)

post operationem præterlapsis obiit. — Sectione levis inflammatio inventa est [1]).

128. 1823. Seidler in femina sana, cui diameter conjugata $2\frac{3}{4}$ poll. metiebatur, jam per quinque dies dolores ad partum fere continuos perpessa, membranis 35 horis abhinc ruptis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus resuscitatus est. Puerpera 54 horas post operationem peractam obiit. — Sectione uterus inflammatus ut etiam intestina in vicinio uteri, et extravasatum purulento-sangvineum in cavo pelvis inventa sunt [2]).

129. 1823. P. Dubois in nosocomio obstetricio "la maternité" in femina rhachitica annos 27 nata, diametro conjugata superiore $2\frac{1}{4}$ poll. metiente, 52 horas post initium partus, membranis ruptis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans asphychticus mox resuscitatus est. Mater 8vo die post operationem obiit. — Sectione peritonæum maculis rubris præsertim in intestinis tenuibus et prope vulnus externum obsessum, in regionibus iliacis viride et quasi gangrænosum inventum est; superficies interna uteri etiam gangrænosa apparuit [3]).

130. 1823. Busch in femina antea quinquies feliciter enixa, postea osteomalacia summe deformata, diametro minima introitus pelvis 10 lineas metiente, ante profluxum liquoris Amnios incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit.

---

1) Omodei: annali universali di medicina Aprile et Maggio 1825. Milano. 8vo. p. 33. (Mich. p. 97. obs. 44, nomen operatoris falso Lovati dicitur.)

2) Rust: Magazin etc. Bd. 20. Hft. 2. (Mich. p. 94. obs. 36.)

3) Lachapelle: pratique des accouch. etc. T. 3. p. 504. (A Mich. non commemoratus.)

Infans vixit. Puerpera post 30 dies osteomalacia increscente obiit. — Sectione uterus quasi dissolutus inveniebatur[1]).

131. 1823. Busch in femina antea quinquies naturæ ope enixa, postea osteomalacia correpta, diametro minima introitus pelvis $1\frac{1}{2}$ poll. metiente, 4 horas post rupturam membranarum incisione diagonali ad modum Stein sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 67 horas vomitu frequenti correpta obiit[2]).

132. 1823. Armbruster in femina parva et deformi, annos 26 nata, in infantia rhachitide affecta, cui diameter conjugata introitus pelvis poll. 1 et lin. 5 metiebatur, 4 dies post initium partus et 2 fere dies post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Incisione uteri placenta læsa est, unde hæmorrhagia et syncope graves exortæ sunt. Infans mortuus erat; mox post operationem symptomata nervosa accesserunt, et puerpera 16 horis præterlapsis obiit. — Sectione nulla inflammationis signa inventa sunt[3]).

133. 1823. Henne in clinico obstetricio Regiomontano in femina annos 24 nata, rhachitide summe deformata, pelvi nimis angusta prædita, antea semel forcipis ope difficillime infante mortuo enixa, unde læsio notabilis organorum genitalium externorum et postea concretio fere completa, ut apertura in amplitudinem lineæ tantummodo restaret, exorta est, 18 horas post initium partus incisione obliqua in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Ex læsione placentæ hæmorrhagia gravis exorta est. Intestina prolapsa difficulter reposita

---

1) Michaelis p. 95. obs. 38. ex Busch: Geburtshülfliche Abhandl. etc. Marburg 1826. 8vo. p. 214.

2) Ibidem p. 94. obs 37. ex eodem libro.

3) G. W. Stein: Die Lehranstalt der Geburtsh. zu Bonn etc. p. 184. (Mich. p. 95. obs. 39.)

sunt. Infans vixit. Puerpera symptomatis nervosis correpta 60 horas post operationem obiit. — Sectione gangrænosæ inflammationis signa in utero et partibus adjacentibus inventa sunt. Fractura rami descendentis ossis pubis sinistri callo nimis copioso consolidata erat [1]).

134. 1824. De Beauclair in femina annos 42 nata, antea ter naturæ ope enixa, postea osteomalacia correpta, jam per 4 dies dolores ad partum perpessa et admodum collapsa, aqua ab initio partus profusa, diametro conjugata exitus pelvis 2 poll. $7\frac{1}{2}$ lin. metiente, incisione obliqua in latere sinistro abdominis sectionem Cæsaream instituit. Pars intestinorum prolapsa reposita est. Infans mortuus erat. Puerpera post 60 horas obiit. — Sectione vulnus uteri gangrænosum, ut etiam pars externa intestinorum tenuium inveniebatur. Ossa pelvis mollia erant [2]).

135. 1824. Femina in urbe "Lessen" dicta, jam diutius parturiens, desperatione excitata, novacula sectionem Cæsaream incisione abdominis in longitudinem poll. 6 instituit, unde magna pars intestinorum prolapsa est; mors post 6 horas insecuta est [3]).

136. 1825. Wolff in femina annos 26 nata, in infantia rhachitide correpta, cui diameter conjugata $2\frac{1}{4}$ poll. metiebatur, 36 horas post initium partus et 30 horas post profluxum liquoris Amnios sectionem Cæsaream instituit. Incisione uteri hæmorrhagia sat gravis exorta est. Infans et puerpera 20 horas post operationem obierunt. — Sectio non permissa est [4]).

---

1) Sieboids Journal etc. Bd. 7. p. 979. (Mich. p. 96. obs. 41.)
2) Gemeins deut. Zeitschr. etc. Bd. 1. p. 115. (Mich. p. 98. obs. 46.)
3) Rust: Magazin f. d. H. etc. Bd. 17. p. 398. (A Mich. non commemoratus.)
4) v. Gräfe u. Walthers Journ. Bd. 7. H. 3. Juni 1825. (Mich. p. 99. obs. 51.)

137. 1825. In clinico obstetricio Pragensi sectio Cæsarea instituta est. Puerpera obiit. Infans vixit[1]).

138. 1825. In clinico obstetricio Pragensi sectio Cæsarea instituta est. Puerpera obiit. Infans vixit[2]).

139. 1825. Schmidt in femina jam antea 1822 (obs. 55) ab illo feliciter secta, 80 horas post initium partus, aqua jam diu profusa, incisione in cicatrice post sectionem anteriorem remanente (in linea alba) iterum operationem instituit. Omentum, uterum obtegens, transscissum est. Infans mortuus ob contractionem uteri difficulter extractus est. Puerpera jam versus sanationem progrediens post 9 dies, ut videtur, inflammatione pectoris correpta obiit. — Sectio non permissa est[3]).

140. 1825 (?). Meyer in femina annos 28 nata, diametro conjugata superiore $1\frac{3}{4}$ poll. metiente, 38 horas post initium partus incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus erat. Puerpera post 30 horas symptomatis nervosis correpta obiit. — Sectione pars uteri gangrænosa inventa est[4]).

141. 1825. Ulsamer in femina annos 21 nata, in infantia rhachitide correpta, diametro conjugata superiore $2\frac{1}{2}$ poll. metiente, versione et applicatione forcipis incassum tentatis, abdomine admodum dolente et puerpera ipsa jam admodum collapsa, perforatione et uncis etiam frustra adhibitis, 5 fere dies post initium partus et $4\frac{1}{2}$ post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Puerpera secundo die post operationem obiit. — Sectione colon transversum

---

1) v. Siebolds Journ. Bd. 9. p. 596. (Mich. p. 99. obs. 49.)

2) Ibidem. (Mich. p. 99. obs. 50.)

3) Ibidem. Bd. 8. p. 257. (Mich. p. 66 et p. 98. obs. 48.)

4) Ibidem. Bd. 5. p. 105. (Mich. p. 97. obs. 45.)

inflammatum, vagina et segmentum inferius uteri gangrænosa inventa sunt [1]).

142. 1825. Mende in clinico obstetricio Gottingensi sectionem Cæsaream instituit et infantem mortuum extraxit. Puerpera hæmorrhagia uteri insequente correpta obiit [2]).

143. 1826. Carus in femina annos 30 nata, rhachitide summe deformata, diametro conjugata $2\frac{1}{2}$ poll. metiente, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit, mater tertio die post operationem obiit. — Sectione intestina aëre extensa, et vulnus uteri apertum inventa sunt [3]).

144. 1826. Chrichton in femina annos 22 nata, cujus pelvis fractura comminuta multis annis abhinc contracta adeo coarctata erat, ut digitus 1 modo difficulter immitti posset, jam per 6 dies parturiente, aqua nonnullis diebus abhinc profusa, vomitu frequenti laborante, abdomine admodum dolente, pulsu 150 etc. incisione secundum lineam albam instituit. Post 8 horas obiit. Infans vixit. — Sectio non permissa est [4]).

145. 1826. Engeltrum in femina antea ab illo secta (obs. 62) iterum gravida, 12 fere horas post initium partus et rupturam membranarum incisione in cicatrice post operationem anteriorem sectionem Cæsaream instituit. Placenta læsa est, unde hæmorrhagia haud gravis exorta est. Infans vivus natus est. Puerpera symptomatis nervosis correpta post 11 horas obiit. — Sectione extravasatum sangvineum in cavo pelvis inventum est, cæterum omnia organa sana erant. Cicatrix uteri

---

1) Kleinerts Repert. Mai 1831. p. 7. ex Siebolds Journ. f. Geburtsh. Bd. 10 Stück 3. (A Mich. non commemoratus.)

2) Gemeins. deut. Zeitschr. Bd. 1. p. 411. ex Mende Beobacht. u. Bemerk. aus d. Geburtsh. Bd. 2. Göttingen 1826. 8vo. (Mich. p. 98. obs. 47.)

3) Gemeins. deut. Zeitschr. Bd. 2. p. 406. (Mich. p. 100. obs. 51.)

4) Edinburgh med. and surg. journ. Vol. 30. p. 53. (Mich. p. 138. obs. 5. in computationem non acceptus.)

post sectionem anteriorem tunicam uteri peritonæalem tantummodo comprehendebat. Margines ipsius solutionis continui uteri quasi lævigati erant et omnino non conjuncti. Solutio continua ipsa diminuta erat sed tantum ob contractionem uteri [1]).

146. 1826. Barlow in femina antea quater enixa, per ultimos tres annos osteomalacia correpta, pelvi admodum distorta et angusta prædita, jam tussi et respiratione difficili, cum pulsu celerrrimo laborante, 24 fere horas, ut videtur, post initium partus incisione in latere sinistro secundum lineam albam sectionem Cæsaream instituit. Ex læsione placentæ hæmorrhagia non gravis exorta est. Infans vixit. Puerpera 4to post operationem die obiit. — Sectione nulla inflammationis signa inventa sunt [2]).

147. 1826. Merrem in femina rhachitica, cujus diameter conjugata $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, prava constitutione prædita, hæmorrhagia ex placenta prævia exhausta, sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus erat. Puerpera tertio die obiit. — Sectione coagula sangvinea in cavo abdominis inventa sunt [3]).

148. 1825—27. In clinico obstetricio Viennensi, in femina annos 24 nata, rhachitide deformata, diametro conjugata 2 poll. metiente, membranis jam ruptis, sectio Cæsarea primum recusata, deinde, cum puerpera jam vomitu viridi et febri intensa laboraret, permissa incisione in linea alba instituta est. Infans vixit, puerpera peritonitide correpta, tertio post operationem die obiit [4]).

---

1) Gemeins. deut. Zeitsch Bd. 4. p. 138. (Mich. p. 100. obs. 53.)

2) Schmidts Jahrbücher 1834. Bd. 2. p. 324. Ex London med. and surg. Journ. Vol. 4. No. 96. Nov. 30 1833. (A Mich. p. 138. obs. 7. in computationem non acceptus.)

3) Gem. d. Zeitschr. Bd. 3. p. 341. (Mich. p 99. obs. 52.)

4) Kleinerts Repert. etc. Jahrg. 4 u. 5. Suppl.-Heft. Abtheil. 2. p. 389. ex med. Jbarb. d. K. K. Oesterreich. Staates. Bd. 1. Stück 3. Wien 1830. (A Mich. non commemorat.)

149. 1827. Kluge, in nosocomio Berolinensi "la Charité" dicto, in femina annos 23 nata, rhachitide summe deformata, diametro conjugata superiore $1\frac{1}{2}$ poll. metiente, partu jam per tres dies durante, aqua 8 fere horis abhinc lente profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera symptomatis nervosis correpta 4 fere dies post operationem obiit. — Sectione nulla inflammationis signa inventa sunt [1]).

150. 1827. Legroux in femina rhachitica, annos 24 nata, semel antea perforationis ope enixa, cujus diameter conjugata $2\frac{1}{2}$ poll. æstimata est, 60 horas post initium partus, aquis profusis, incisione parum obliqua sectionem Cæsaream instituit. Magna pars intestinorum et omenti prolapsa reposita est. Infans vixit. Puerpera symptomatis nervosis correpta post 28 horas obiit. — Sectio non permissa est [2]).

151. 1827. Mancini in femina annos 28 nata, rhachitide admodum deformata, in nosocomio Neapolitano "degl Incurabili", cui diameter conjugata superior 2 poll. 3 lin. metiebatur, 7 horas post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Horis fere 60 præterlapsis, femina inflammatione abdominis correpta obiit [3]).

152. 1827. Busch in femina annos 47 nata, antea sexies naturæ ope enixa, jam per 4 annos osteomalacia correpta, diametro conjugata $2\frac{1}{2}$ poll., diametro transversa exitus pelvis 9 lin. tantum metiente, 24 fere horas post initium partus et 12 horas post rupturam membranarum incisione laterali

---

[1]) Siebolds Journ. Bd. 8. p. 72. (Mich. p. 100. obs. 55.)

[2]) Revue médicale française et étrangère. T. 3. 1836. p. 353. (A Mich. omissus, quia nondum descriptus erat, cum ejus collectio appareret. Levy sub anno 1836. p. 103. obs. 13.)

[3]) Osservatore medico, gjornale di medicina. Napoli. 1827. num. 10. 4to. (A Mich. omissus)

obliqua sectionem Cæsaream instituit. Pars intestinorum prolapsa reposita est. Infans vixit. Puerpera 57 horas post operationem obiit. — Sectione inflammatio levissima coli transversi inventa est, in cavo abdominis extravasatum sangvineum ℥ij erat, cæterum omnia organa sana erant[1]).

153. 1827—28. Ferrario in clinico obstetricio Patavino, in femina annos 36 nata, antea ter feliciter enixa, jam per 6 annos osteomalacia correpta, diametro conjugata superiore 1½ poll. metiente, aqua profusa, incisione prope lineam albam sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Hæmorrhagia secundaria bis exorta est et utraque vice fomentationibus frigidis sedata. Puerpera 4to die post operationem obiit. — Sectione peritonitis cum extravasato purulento in cavo abdominis inventa est[2]).

154. 1827—28. Lovati in clinico obstetricio Patavino, in femina rhachitica, annos 35 nata, diametro conjugata 2½ poll. metiente, in tertio partus stadio incisione prope lineam albam sectionem Cæseream instituit. Infans vixit. Puerpera, symptomatis nervosis correpta, post nonnullas horas obiit. — Sectione extravasatum sangvineum in cavo abdominis inventum est, uterus modo parum contractus erat, cæterum omnia organa sana erant[3]).

155. 1828. Johanknecht in femina antea bis naturæ ope feliciter et facile enixa, postea osteomalacia correpta, una vice naturæ ope difficulter, et alia vice perforationis ope enixa, diametro conjugata 2½ pollicem metiente, 48 horas post initium

---

1) Gemeins. deut. Zeitschr. Bd. 3. p. 292. (Mich. p. 101. obs. 56.)

2) Ibid. Bd. 5. p. 140 ex Omodei ann. univers. etc. (Mich p. 102. obs. 58.)

3) Ibid. Bd. 5. p. 137. ex Omodei annal. univers. di med. (Mich. p. 102. obs. 59.)

partus et 8 fere horas post profluxum liquoris Amnios incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Incisione uteri placenta læsa est, unde gravis hæmorrhagia exorta. Infans vivus extractus est. Puerpera 52 horis post operationem præterlapsis symptomatis nervosis correpta obiit [1]).

156. 1828. Ritgen in femina annos 28 nata, in infantia rhachitide affecta, diametro conjugata superiore $2\frac{1}{2}$ poll. metiente, ipsa initio sectionem Cæsaream recusante, perforatione incassum tentata, 18 horas post initium partus et $4\frac{1}{2}$ post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Intestina prolapsa facile reposita sunt. Infante vivo extracto, hæmorrhagia gravissima, ligatura novem arteriarum parum mitigata, exorta est, unde femina post 28 horas obiit. — Sectione uterus ubicunque ruber et hic et illic gangrænosus, intestina etiam rubra inventa sunt [2]).

157. 1829. Kilian in femina rhachitica, in nosocomio obstetricio Bonnensi, diametro conjugata superiore 1 poll. 4—5 lin. metiente, mox in initio partus, membranis integris, sectione longitudinali laterali sectionem Cæsaream instituit. Ob contractionem uteri infans vivus difficulter extractus est. Puerpera, symptomatis nervosis correpta, 4 dies et 7 horas post operationem obiit. — Sectione peritonæum et intestina inflammata et in cavo peritonæi extravasatum sangvineum inventa sunt [3]).

158. 1829. Kibbin in nosocomio, quod in "Belfort" est, in femina annos 26 nata, per 48 horas parturiente, cujus pelvis exostosi adeo coarctata erat, ut maxima diameter prope

---

1) Abhandl. der ärtzl. Gesell. zu Münster 1829. 8vo. p. 366. (Mich. p. 105. obs. 62.)

2) Gemeins. deut. Zeitschr. Bd. 5. p. 577. (Mich. p. 101. obs. 57.)

3) Ibid. Bd. 6. p. 324 ex Kuester: de sect. Cæs. in clin. obstetr. Bonnensi instituta. Bonnæ 1829. 4to. (Mich. p. 103. obs. 60.)

exostosin $1\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ poll. æstimata sit, sectionem Cæsaream, membranis ruptis, incisione in latere dextro abdominis secundum lineam albam instituit. Infans mortuus erat. Puerpera symptomatis nervosis correpta 17 horis post operationem præterlapsis obiit. — Sectione intestina et peritonæum rubra inventa sunt [1]).

159. 1830. Neuber in femina sana annos 30 nata, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, et tubera ossis ischii 2 poll. 9 lin. inter se distabant, et introitus vaginæ et perinæum quasi cartilaginosa erant, ita ut manus introduci non posset, aqua jam diu profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 7 dies, cum in victu negligentior fuisset, obiit. — Sectione intestina exsudato purulento involuta passim gangrænosa inveniebantur [2]).

160. 1831. Reuter in femina jam omnino sana, annos 32 nata, in infantia rhachitide correpta, pelvi admodum coarctata prædita, diametro conjugata superiore 1 poll. 9 lin. metiente, aqua ante 10 dies lente profluere incipiente, dolores ad partum per 60 fere horas perpessa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Pars intestinorum prolapsa facile reposita est. Infans asphycticus resuscitatus est. Puerpera 8vo die post operationem defuncta est. — Sectione omentum subfuscum, gangrænosum apparuit, intestina inflammata erant et passim gangrænosa [3]).

161. 1831. Busch in clinico obstetricio Berolinensi in femina rhachitica annos 32 nata, diametro conjugata superiore $2\frac{1}{4}$ poll. metiente, 10 fere horas post initium partus, membra-

---

1) Edinburgh medical and surgical journal. Vol. 35. p. 352. (A Mich. p. 138. obs. 6 in computationem non receptus.)

2) Hufelands Journ. d. pract. Heilk. Bd. 83. Stück 5. p. 52. (Mich. p. 101. obs. 61.)

3) Heidelberg. clin. Annal. Bd. 10. p. 431. (A Mich. non commemoratus, quia nondum descriptus erat, cum ejus liber appareret; a Levy p. 102. obs. 6. sub anno 1834 allatus.)

nis adhuc integris, incisione secundum lineam albam sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Hæmorrhagia sat gravis erat. Puerpera symptomatis nervosis correpta post 5 dies obiit. Sectione nulla organa inflammata inventa sunt. Ansa intestinorum cum marginibus externis vulneris uteri nondum consolidatis leviter conglutinata erat [1]).

162. Stein in clinico obstetricio Bonnensi, in femina antea pluries naturæ ope, postea osteomalacia correpta, ultima vice maxime difficulter enixa, jam pelvi adeo coarctata prædita, ut exploratio per vaginam institui non posset, mox post rupturam membranarum sectionem Cæsaream instituit. Infans parvus vixit. Mox post deligationem symptomata nervosa accesserunt, et puerpera 30 fere horas post operationem defuncta est. Sectione in cavo abdominis extravasatum sangvinis liquidi (℥xvj) inventum est. Tuberositates ossis ischii 1 tantum pollicem inter se distabant, introitus pelvis etiam admodum coarctatus erat [2]).

163. 1832. v. Gräfe in femina rhachitica annos 39 nata, cui diameter conjugata 2 poll. metiebatur, jam per 5 dies parturiente, infante per plures dies sine dubio defuncto, sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus erat. Puerpera 56 horas post operationem obiit. Sectione nulla inflammationis signa inventa sunt [3]).

164. 1832. Hoebeken in femina, antea quinquies feliciter enixa, postea osteomalacia correpta, cui diameter transversa

---

[1]) Neue Zeitschr. f. Geburtsh. Bd. 5. p. 170. (A Mich. omissus quia, ejus collectione jam finita, primum descriptus est.)

[2]) Schmidts Jahrb. 1834. Bd. 2. ex Siebolds Journ. Bd. 13. (A Mich. non commemoratus, quia, ejus collectione jam finita, primum apparuit; Levy p. 101. obs. 1.)

[3]) Berliner med. Zeitung 1832. No. 16. Meissner Forsch. etc. Bd. 4. p. 219. (A Mich. inter casus incertos p. 130. obs. 6. rejectus.)

exitus pelvis 1 poll. 9 lin. metiebatur, jam per 3 dies parturiente incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Sexto die post tussim gravissimam sutura disrupta est, intestina prolapsa et entero-metro-peritonitis evoluta, unde nono die mater obiit[1].

165. Wendelstädt ín femina, rhachitide deformata, diametro conjugata 2 tantum poll. metiente, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia haud notabilis fuit. Infans vivus fuit, mater post 24 minuta obiit[2].

166. Wendelstädt in femina deformi, variis conatibus partus artis ope perficiendi jam incassum institutis, infante mortuo, sectionem Cæsaream incisione in linea alba instituit. Post 3 dies puerpera enteritide et metritide correpta obiit[3].

167. Schelling paucissimis verbis sectionem Cæsaream, infelicem, in nosocomio obstetricio Bambergensi sine indicatione institutam, commemorat[4].

168. A. Dubois in nosocomio Parisiensi "la maternité", in femina annos 23 nata, adeo rhachitide deformata, ut totum corpus modo 29 poll. metiretur, cui diameter conjugata superior 2 poll. $7\frac{1}{2}$ lin. habebat, eclampsia parturientium correpta, $4\frac{1}{2}$ horas post initium partus, membranis jam ruptis, funiculo umbilicali prolapso modo leviter pulsante, incisione in sinistro abdominis latere sectionem Cæsaream instituit. Foetus, facile extractus, mortuus erat. 5 horas post operationem iterum in-

---

1) Bullet. méd. belge. Févr. 1838. Encyclogr. des sc. méd. Févr. 1838. p. 47. cfr. (A. Mich. omissus, quia ejus collectione jam finita, primum apparuit.)

2) Siebolds Lucina etc. Bd. 3. Stück 3. p. 345. (Mich. p. 85. obs. 12.)

3) Ibidem. (Mich. p. 85. obs. 13.)

4) D'Outrepont: Abhandl. geburtshülfl. Inhalts. Bamberg u. Würzburg 1822. 8vo. Bd. 1. p. 196. (Mich. p. 89. obs. 23.)

sultus eclampsiæ accessit, omentum et pars intestinorum inter suturas prolapsa est, et femina, continuo stupida, post 36 horas obiit. — Sectione vasa cerebri sangvine turgescentia inventa sunt [1]).

169. Meissner refert sectionem Cæsaream nonnullis annis abhinc prope Lipsiam ob caput foetus abreptum institutam esse. Puerpera obiit. Casus, coram judiciis appellatus, antea non publice descriptus est [2]).

170. Ob concretionem vaginæ sectio Cæsarea instituta est. Infans mortuus erat, mater postea obiit [3]).

171. Weiss sectionem Cæsaream matri letalem instituit. Infans vixit [4]).

172. Gensoul sectionem Cæsaream matri letalem instituit. Infans vixit [5]).

173—174. Jolly 2 casus infelices affert. Cfr. supra casus felices 85—88.

---

175. 1832—33. Häusner in femina annos 36 nata, deformi, antea bis enixa et semel quidem perforationis ope,

---

1) Lachapelle: Pratique des accouchemens. T. 3. Paris 1825. 8vo. p. 495. (A Mich. non commemoratus.)

2) Meissner: Forschung d. 19ten Jahrhund. etc. Th. 4. Leipzig 1833. 8vo. p. 219. (A Mich. non commemoratus.)

3) Kleinerts Repert. etc. 1832. Bd. 1. Ex Lancette franç. T. 4. Nr. 73. (A Mich. omissus.)

4) Magazin f. Heilk. u. Naturwissenschaft herausg. v. Leo. Warschau 1828. Jahrg. 1. Bibl. d. pract. Heilk., herausg. v. Hufeland u. Osann. 1829. Octbr.-Decbr. p. 400. et Meissner: Forschung. etc. Bd. 6. p. 220. Leipzig 1833. (A Mich. omissus.)

5) Compte rendu des travaux de la société de méd. de Lyon 1831. 8vo. p. 68. Meissner: Forschung. etc. Bd. 6. p. 220. (A Mich. omissus.)

diametro conjugata 2 poll. metiente, sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera 3tio post operationem die obiit [1]).

176. 1832—33. Bley in femina rhachitica sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit, mater quinto die post operationem obiit [2]).

177. 1832—33. Wiesel in femina annos 30 nata, antea bis, ultima vice instrumentorum ope, enixa, jam pelvi admodum deformi, diametro conjugata $1\frac{3}{4}$ poll. metiente, prædita, sectionem Cæsaream instituit. Infans mox obiit, mater octavo die post operationem [3]).

178. 1832—33. Wiesel in primipara, osteomalacia deformata, sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 40 horas obiit [4]).

179. 1833. Michaelis in femina rhachitica, annos 31 nata, jam per 30 fere horas parturiente, aqua ante 19 horas effusa, diametro conjugata superiore $1\frac{3}{4}$ poll. metiente, infante vivo, incisione in linea alba sectionem Cæsaream perfecit. Incisione uteri hæmorrhagia ex læsione arteriæ funiculi umbilicalis exorta est. Infans ob contractionem uteri difficulter extractus, admodum pallidus sine ictu cordis obiit. Puerpera post 80 horas obiit. — Sectione intestina tenuia lympha plastica obtecta sunt, et in cavo pelvis copia puris ichorosi inventa [5]).

180. 1833. Haase in clinico obstetricio, quod Dresdæ floret, in femina annos 31 nata, rhachitide admodum deformata,

---

1) Kleinerts Repert. 1838. Bd. 3. ex Siebolds Journ. Bd. 17. Hic casus et 3 insequentes a Levy omissi sunt, quia non constat, illos anno 1833, cum is suam collectionem incepit, evenisse.

2) Ibidem.

3) Ibidem.

4) Ibidem.

5) Pfaff: Mittheil aus dem Gebiete der Medicin etc. Kiel. 1833. 8vo. Heft 1. p. 111. (A Levy omissus.)

diametro conjugata superiore 2 poll. metiente, 24 horas post initium partus, aqua jam profusa, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Hæmorrhagia erat gravis. Puerpera post 4 dies, symptomatis nervosis correpta, obiit. — Sectione signa levis inflammationis intestinorum, peritonæi et uteri inventa sunt[1]).

181. 1833. Baudelocque (neveu) in femina annos 40 nata, antea quinquies difficulter enixa, et bis abortum edente, abdomine pendulo et antroversione uteri, quæ ob dolores vehementis reponi non potuit, laborante, ita ut umbilicus femora attingeret, cute abdominis ulceribus obtecta, 24 fere horas, ut videtur, post initium partus incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Hæmorrhagia non erat gravis, syncope sub deligatione accessit. Puerpera post 15 horas obiit, infans immaturus, debilis post 17 horas. — Sectione cavum pelvis, et partim etiam abdominis, coagulis sangvineis impletum inveniebatur. Superficies posterior uteri (ob antroversionem) incisa erat, cætera organa sana erant. Vertebræ lumborum angulum rectum cum osse sacro formabant, diameter conjugata superior 4 poll. 8 lin. metiebatur[2]).

182. 1833. Bracher in urbe "Neukirchen" in femina antea quinquies infantibus vivis enixa, diametro transversa exitus pelvis 1 poll. (ob osteomalaciam?) metiente, sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit, mater post 3 dies obiit[3]).

---

[1]) Neue Zeitschr. für Geburtsh. Bd. 3. p. 407. (Levy p. 101. obs. 3.)

[2]) Bello in transactions médicales. Paris. Septembre 1833. Encyclogr. des scienc. méd. T. 13. Bruxelles 1833. (Levy p. 101. obs. 2.)

[3]) Frorieps Notizen etc. Bd. 39, p. 208. Casus cum colleg. med. Rhenano communicatus dicitur, cæterum nulla autoritas affertur. (A Levy omissus.)

183. 1833. Lovati operationem matri infelicem instituit, sors infantis haud notata est[1]).

184. 1833—34. Martin in clinico obstetricio, quod Monachii floret, in femina annos 30 nata, antea rhachitide et scrophulosi affecta, cui diameter conjugata introitus pelvis $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, aliquot horas post initium partus et mox post rupturam membranarum sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit, mater post 5 dies obiit[2]).

185. 1834. Gueury in femina annos 31 nata, antea semel forcipis ope enixa, cujus pelvis exostosi, ex latere sinistro pelvis oriente, fere omnino impleta erat, brevi post profluxum liquoris Amnios incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera post 48 horas obiit. — Sectione inflammatio gravis cum escharis gangrænosis peritonæi et coli descendentis et transversi inventa est. Labia vulneris uteri etiam gangrænosa erant[3]).

186. 1834. Porter in femina, cujus pelvis tumore fibroso omnino impleta erat, 12 fere horas post initium partus incisione prope lineam albam sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus erat. Puerpera post 21 horas symptomatis status collapsus correpta obiit[4]).

187. 1834 (?). Kranefuss in femina annos 42 nata, cui diameter conjugata superior 2 poll. $1\frac{1}{2}$ lin. metiebatur, 84 fere horas post initium partus et rupturam membranarum in-

---

1) Levy p. 102. obs. 4. ex Encyclogr. d. sc. méd. Mai 1835, ubi nihil de hoc casu invenire potui.

2) Schmidts Jahrbüch. Bd. 8. p. 207. Kleinerts Repert. 1837. Bd. I. (Levy p. 102. obs. 5.)

3) Gazette des hopitaux 1840. No. 79. (A Levy omissus, quia, ejus collectione jam finita primum, descriptus est.

4) Dublin Journ. Jan. 1835. Schmidts Jahrb. 1ster Supplementband 1836. (Levy sub nomine Montgomery p. 104. obs. 21.)

cisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Pars intestinorum prolapsa facile reposita est. Puerpera post 12 dies obiit. — Sectione margines vulneris uteri papillulis carneis obtectæ inventæ sunt. Magna pars intestinorum crassorum gangrænosa erat et colon adscendens perforatum [1]).

188. 1834. Göttsche in femina rhachitica, cujus diameter conjugata superior 2 poll. 7—8 lin. æstimata est, 30 fere horas post initium partus et rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Hæmorrhagia difficulter sedata est. Puerpera symptomatis nervosis correpta post 2 dies obiit. Sectio non permissa est [2]).

189. 1834. Velpeau in femina moribunda, jam per 3 dies parturiente, versione et forcipe pluries adhibitis et perforatione instituta, utero forsitan, ut credidit Maygrier, rupto, in quo tamen cæteri obstetricantes illi assentiri non visi sunt incisione obliqua in latere dextro abdominis sectionem Cæsaream instituit, mater mox obiit. — Sectio non instituta est [3]).

190. 1830. Textor in clinico obstetricio Virceburgensi in femina rhachitica, annos 36 nata, cui diameter conjugata superior 2½ poll. metiebatur, 16 fere horas post initium partus et mox post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera symptomatis nervosis correpta post 45 horas obiit. — Sectione intestina aëre admodum expansa, nullibi vero signa inflammationis, inventa sunt [4]).

---

[1]) Rusts Magazin etc. Bd. 45. p. 257. (Levy p. 103. obs. 14.)

[2]) Zeitschr. für die gesammt. Med. Hamburg 1837. Bd. 5. p. 184. (Levy p. 102. obs. 8.)

[3]) Journ. des connaiss. med.-chir. Paris. Février 1835. (Levy p. 102. obs. 7.)

[4]) Neue Zeitschr. f. Geburtsh. Bd. 5. p. 161. (Levy p. 103. obs. 9.)

101. 1835. Cornelis in femina, annos 41 nata, robusta sanaque, cui diameter conjugata superior ob exostosin, ab symphysi ossium pubis orientem, 2 poll. metiebatur, 24 fere horas post initium partus et rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera 4to die post operationem peritonitide et metritide gangrænosa correpta obiit [1]).

192. 1835. P. Dubois in femina sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit; mater secundo die obiit [2]).

193. 1836. Flamm in nana annos 28 nata, cui diameter conjugata superior $1\frac{3}{4}$ poll. metiebatur, 54 fere horas post initium partus, membranis integris, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus resuscitatus est. Puerpera post 66 horas obiit. — Sectione intestina aëre admodum expansa et exsudato obtecta inventa sunt, reliqua organa sana erant [3]).

194. 1837. Putegnat in femina annos 35 nata, constitutione robusta, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$—3 poll. metiebatur, foetu humerum præbente, per tres dies parturiente, multis conatibus partus versionis ope perficiendi incassum institutis, sectionem Cæsaream instituit. Infans mox obiit. Puerpera peritonitide intensa correpta, insequente die, ut videtur, obiit. — Sectio non permissa est [4]).

195. 1837. Hoebeken in femina antea bis enixa, postea osteomalacia correpta, cui diameter transversa exitus pelvis 9

---

1) Annal. de méd. Belge. Juill. 1836. Schmidts Jahrb. Bd. 16. p. 205. (Levy p. 103. obs. 10.)

2) Levy p. 103. obs. 11. ex Journ. de méd. et de chir. prat. etc. Mai 1835. Ego vero hunc casum ibi invenire non potui.

3) Neue Zeitschr. f. Geburtsh. Bd. 6. p. 400. (Levy p. 104. obs. 18.)

4) Gazette des hopit. No. 79. 1840. (A Levy omissus, quia ejus collectione jam perfecta, primum descriptus est.)

lineas metiebatur, in initio partus mox post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans mox obiit. Puerpera post 4 dies peritonitide correpta obiit. — Sectio, ut videtur, non instituta est[1]).

196. 1837. Hoebeken in femina antea ter naturæ ope enixa, deinde osteomalacia correpta, qui morbus usu olei jecinoris parum amelioratus visus est, sed sub quarta graviditate iterum increvit, cui ossa ischii 2 lineas tantum inter se distabant, jam per 2 dies parturiente, membranis ante 24 horas ruptis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans mox obiit. Puerpera symptomatis nervosis correpta post 63 horas obiit. — Sectio non instituta est[2]).

197. 1837. Moreau in clinico obstetricio Parisiensi in femina annos 28 nata, rhachitica, cui diameter conjugata superior 2 poll. 4 lin. metiebatur, 24 horas post initium partus et profluxum liquoris Amnios incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus, cujus caput parum in pelvi inclavatum erat, non sine difficultate extractus mox obiit. Puerpera symptomatis nervosis correpta post 60 horas obiit. — Sectione nulla inflammationis signa inventa sunt[3]).

198. 1837. Jungmann in clinico obstetricio Pragensi in femina annos 24 nata, rhachitide deformata, cui diameter conjugata superior 2 poll. 3 lin. metiebatur, solito modo (incisione in linea alba) sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus resuscitatus est. Mater post 30 horas obiit. — Sectione signa levis inflammationis inventa sunt[4]).

---

1) Bullet. méd. belge. Fevr. 1838. Encyclogr. des sc. méd. Fevr. 1838. p. 48. (A Levy omissus.)

2) Ibid. Févr. 1838. Encyclogr. des sc. méd. Févr. 1838. p. 48. (A Levy omissus)

3) Archiv géner. de méd. Fevr. 1838. (A. Levy omissus.)

4) Med. Jahrb. des K. K. Oesterr. Staates. Bd. 25. Stück 3—4. Kleinerts Repert. 1839. Bd. 3. (A Levy omissus.)

199. 1839. Dohlhoff, in femina, quæ tumorem abdominalem habuit, hanc ob rem operationem instituens, in uterum gravidum incidit, unde infantem vivum extraxit. Puerpera post 48 horas obiit. — Sectione nec coagula sangvinea nec signa inflammationis inventa sunt [1]).

200. 1838 (?). Stoltz in clinico obstetricio Argentoratensi in femina rhachitica annos 23 nata, cui diameter conjugata superior 1 poll. 9 metiebatur, 12 horas post initium partus et 7 post profluxum liquoris Amnios sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Puerpera 36to die post operationem obiit. — Sectione extravasatum fæculentum in cavo abdominis, plures perforationes intestinorum, et duo abscessus magni inter hepar et costas et in fossa iliaca sinistra inventa sunt [2]).

201. 1838. Fritz in clinico obstetricio Pragensi in femina annos 25 nata, rhachitide deformata, cui diameter conjugata superior $2\frac{1}{2}$ poll. metiebatur, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans asphycticus mox obiit. Secundo die post operationem puerpera obiit. — Sectione inflammatio peritonæi et coagula sangvinea in cavo abdominis et pelvis inventa sunt [3]).

202. 1834. Busch in clinico obstetricio Berolinensi in femina, prima ætate pleuritide laborante, postea scoliosi affecta, antea infante putrefacto enixa, cui diameter conjugata superior 2 poll. et 2 lin. metiebatur, 24 fere horas post initium partus, forcipe frustra adhibita, funiculo pulsante prolapso, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Gemelli, quorum alter vivus, alter mortuus erat, extracti sunt. Hæmorrhagia sat

---

1) Rusts Magazin f. d. G. Bd. 52. p. 174. (Levy p. 104. obs. 19.)

2) Med. Ann. Bd. 5. Hft. 2. p. 283. Kleinerts Repert. 1840. Bd. 3. p. 96. (A Levy omissus.)

3) Med Jahrb. d. K. K. Oest. St. Bd. 19. Stück 2. p. 221. (A Levy omissus.)

gravis fuit. Puerpera post 5 dies obiit. — Sectione intestina passim inflammata et exsudato obtecta inventa sunt [1]).

203. 1839. Wolff in femina annos 39 nata, rhachitica, cujus diameter conjugata superior 2½ poll. æstimata est, debili et febri intensa laborante, 48 horas post initium partus et 24 horas post rupturam membranarum, pluribus conatibus forcipis applicandæ et versionis adhibendæ incassum institutis, incisione in linea alba sectionem Cæsaream peregit. Femina symptomatis nervosis, ut videtur, correpta post 36 fere horas obiit [2]).

204. 1839. Hoebeken in femina annos 35 nata, antea quater naturæ ope enixa, post secundum puerperium osteomalacia correpta, cui maxima diameter exitus pelvis 1½ poll. metiebatur, 10 fere horas post initium partus et mox post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vivus, cujus caput parum in pelvi inclavatum erat, non sine difficultate extractus est. Femina, quæ jam convalescere videbatur, post 15 dies obiit. — Sectione omnia organa abdominis pure copioso obtecta et inter se concreta inventa sunt, uterus magno ulceri similis erat [3]).

205. 1839. P. Dubois in femina parva, 23 annos nata, rhachitide deformata, cujus diameter conjugata superior 2 poll. 3—4 lin. metiebatur, 20 fere horas post initium partus et mox post rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Magna pars intestinorum prolapsa difficulter reposita est. Infans vivus extractus est. Hæmorrhagia ex læsione placentæ sat gravis exorta est. Puerpera, 40 horis

---

[1]) Med. Zeitung 1840. No. 1. Kleinerts Repert. 1841. Bd. 1. Hic casus et 2 insequentes a Levy omissi sunt, quia, ejus collectione jam perfecta, primum descripti sunt.

[2]) Neue Zeitschr. f. G. Bd. 8. p. 354.

[3]) Bull. méd. belge. Janv. 1840. Encyclogr. d. sc méd. Janv. 1840. p. 11.

post operationem præterlapsis obiit. — Sectione intestina rubra, lympha plastica obtecta, inventa sunt [1]).

206. Brooke in femina annos 31 nata, per 4 dies parturiente, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Ob extractionem foetus difficilem brachium abscissum est, et abdomen perforatum. Puerpera tertio die obiit. Sectione peritonæum, intestina, tuba Fallopii et ovarium sinistrum inflammata et colon passim gangrænosum inventa sunt [2]).

207. Büren in femina annos 37 nata, antea sexies naturæ ope enixa, post ultimum puerperium per 4 fere annos osteomalacia correpta, unde pelvis admodum deformata erat, post initium partus et rupturam membranarum incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Infans vixit. Post 14 dies puerpera metritide chronica correpta obiit [3]).

208. Ward in femina, cujus pelvis adeo coarctata erat, ut sectio Cæsarea necessaria esset; 27 horas post initium partus, funiculo umbilicali prolapso, foetu mortuo, incisione in linea alba sectionem Cæsaream instituit. Puerpera sexto die obiit. — Sectione peritonitis inventa est [4]).

209. Kömm in nosocomio obstetricio, quod Græcii floret, in femina admodum distorta, jam per 6 dies parturiente, et admodum debili, cui diameter conjugata superior $1\frac{1}{4}$ poll. metiebatur, solito modo sectionem Cæsaream instituit. Infans mortuus erat. Puerpera post 27 horas obiit. — Sectione col-

---

1) Archiv. génér. d. méd. Mai 1839. (Levy p. 104. obs. 20.)

2) Zeitschr. f. d. gesam. Med. Hamburg 1836. Bd. 3. p. 127. Ex american journ. of med. scienc. Mai 1836. (Levy p. 104. obs. 17.)

3) Med. Zeit. v. V. f. H. etc. No. 13. 1836. Schmidts Jahrb. Bd. 13. p. 65. (Levy p. 103. obs. 15.)

4) London medical gazette. Vol. 21. Schmidts Jahrb. Bd. 31. p. 64. (Levy p. 104. obs. 22.)

lum et uteri et vesicæ gangrænosum, reliqua vero organa sana inventa sunt [1]).

210. Hoebeken in femina antea enixa, osteomalacia laborante, jam per 24 horas parturiente, sectionem Cæsaream instituit. Vulnere externo jam consolidata, puerpera septimo die ruptura uteri et hæmorrhagia gravissima correpta, subito obiit [2]).

Nonnulla adhuc restant casus, quos in ipsam collectionem non recepi, vel quia complicationes adfuerunt, ut inter casus simplicis sectionis Cæsareæ accipi non possint, vel quia eventus mihi non cognitus est; ne vero confusio oriatur, hos casus hic afferam.

1. Rouvin in „Dép. de la Nièvre" sectionem Cæsaream instituit [3]).

2. Toy in femina, in septimo graviditatis mense doloribus ad partum et profluxu liquoris Amnios correpta, partu vero non sequente, deinde post 12 dies tumore pedum et profluvio ichoroso ex vagina affecta, in nono mense post profluxum liquoris Amnios aperturam prope umbilicum, unde ichor profluxit, dilatavit et foetum extraxit. Uterus circa trajectum fistulosum cum integumentis abdominis concretus erat [4]).

3. Bertrand in femina annos 40 nata, quæ octava vice gravida doloribus ad partum et profluxu aquæ et sangvinis

---

1) Med. Jahrb. d. K. K. Oest. St. Bd. 18. Stück 4, cfr. Kleinerts Repert. 1836. Bd. 2. p. 152, etiam Schmidts Jahrb. Ister Supplementbd. 1836. p. 410. (Levy p. 103. obs. 12. Hic autor infantem vixisse affert, quod falsum est.)

2) Hoebeken; mémoires et observ. etc. T. 58. (Primum descriptus, postquam Levy suam collectionem finiverat).

3) Bullet. de l'acad. royal de méd. Séance du 16 Mai 1837. Encyclogr. des sc. méd. Juillet 1837.

4) The Lond. med. and surgery Journ. 1830. Aug. Meissner: Forschungen etc. Bd. 4. p. 224.

per vaginam affecta, dein inflammatione prope umbilicum, in abscessum abeunte, correpta, ex abscessu corpus foetus maturi extraxit [1]).

4. Weem in femina sana, antea feliciter enixa, cui partus tempestivus incipiens cessaverat, 2 annos post conceptionem gastro hysterotomia reliquia foetus putridi extraxit. Post 10 dies puerpera metro-peritonitide correpta est, unde post 2 dies obiit [2]).

5. Bacqua dicitur feminam, antea ab illo operatam, iterum secuisse. Michaelis secundam operationem felicibus adnumerat, quod ego non ausus sum, cum nihil de illa invenire potui, nisi verba sequentia „M. Bacqua l'a pratiquée à Nantes deux fois sur la même femme" [3]).

6. 1764. Pietsch in femina per biduum parturiente, pelvi coarctata prædita, correctione situs capitis, et digitorum et forcipis ope, et aliis adminiculis artis incassum tentatis, sectionem Cæsaream incisione in regione iliaca sinistra instituit. Sub applicatione suturæ vomitus gravissimus exortus est. Ægrotam in lectum repositam Pietsch reliquit. Infans vivus erat [4]).

7. 1766. Van Doeveren Groeningæ longe post effluxum aquarum sectionem Cæsaream instituit, cujus eventus non notatus est [5]).

---

1) Nouveau journ. de méd., chir. et pharm. par M. M. Béclard, Chomel etc. 1819, Février. — Meissner: Forschungen etc. Bd 4. p. 225.

2) Zeitschrr f. d. gesammt. Med. Hamburg 1836. Bd 3. Ex americ. journ. of med. science. Mai 1836. (Levy p. 103. obs. 16.)

3) Dictionnaire des sciences méd. Tom. 17. p. 425 (Mich. p. 49, et p. 113. obs. 6).

4) Journ. de méd. Tom. 34. p. 170. Michaelis ex eadem autoritate quam nos secuti sumus, hunc casum, cujus eventus incognitus est, et inter casus infelices (p. 80. obs. 68) et inter felices (p. 117. obs. 21) affert, quod summe mirandum est.

5) N. van der Eem l. c. cfr. Schlegel: sylloge operum minorum etc. Tome 1. p. 32.

Singulis casibus ita expositis nostrum esse censuimus, quibus rationibus hæc collectio ab anterioribus, quas alii autores, Michaelis scilicet et Levy, instituerunt, discrepet, exponere, ut appareat, utilisne fuerit reprehensio earum, quam fecimus.

Primum observandum est, nos non omnes casus ab illis autoribus allatos accepisse. Alios casus, ut a collectione, a Michaeli instituta, initium faciamus, 33 scilicet, quorum 14 matribus infelices, et 19 felices[1]), quia ante annum 1750 evenere, quo anno ob rationes jam supra allatas nostra collectio incipit, exclusimus; alios, 13 scilicet, quorum duo matribus infelices [2]), quia operatio non fuit gastro-hysterotomia, sed gastrotomia, operatio a nostra re omnino aliena. Præterea 1 casum felicem dictum, quia operatio in femina mortua instituta est[3]); alios deinde, 7 scilicet, quia bis allati sunt, quorum 4 sunt felices[4]), 2 infelices[5]) et 1, qui felix fuit, etiam inter infelices allatum[6]); alios porro 3 casus, inter quos 1 felix fuit, quia eventus non cognitus est[7]), et 5 demum casus, quorum 3 felices et 2 infelices, quia nobis non adeo bene affirmati visi sunt, ut pro certis accipi possint[8]). Rejectis his casibus, quorum 40 felices sunt, et 22 infelices, collectio, quam fecit Michaelis, ad casus 196, quorum 78 fe-

---

1) Mich. l. c. p. 75-76, obs. 1-13 et obs. 15, et p. 106-7, obs. 1-18 et obs. 20.

2) Mich. l. c. p. 79, obs. 66; p. 90, obs. 26; p. 109-11, obs. 27, 28, 38, 64, 65, 66, 67; p. 113, obs. 4 et 9; p. 115, obs. 18; p. 121, obs. 33.

3) Mich. l. c. p. 108 obs. 39.

4) Mich. l. c. p. 107, obs. 26 et 30; p. 114, obs. 14; et p. 121, obs. 32.

5) Mich. l. c. p. 80, obs. 76 et 73.

6) Mich. l. c. p. 76, obs. 31.

7) Mich. l. c. p. 80, obs. 68; p. 107, obs. 21 et p. 113, obs. 6.

8) Mich. l. c. p. 77, obs. 34 et 35; p. 108, obs. 42 et 43; et p. 111, obs. 63.

lices et 118 infelices, redigitur, qui numerus nostræ collectioni sat inferior est. Multos enim casus, ab illo autore omissos vel, cum ille suum collectionem jam finiverat, nondum descriptos vel rejectos, invenimus et notavimus, 13 scilicet casus felices et 56 infeliees, in universum casus 69, qui casibus 196, quos etiam Michaelis habet, adjecti, summam efficiunt 265, quorum 91 fuerunt felices, et 174 infelices.

Doctissimus Levy postea collectionem, quam Michaelis incepit, per annos 1833—38 incl. continuavit, et 49 casus, quorum 27 felices et 22 infelices, collegit[1]). Inter priores obs. 1 et 2, quæ utraqne ante annum 1833 evenit, ad collectionem anteriorem retulimus, et obs. 17 rejecimus, quæ operatio fuit gastrotomia ob rupturam uteri instituta. Inter posteriores obs. 1, 6, 13 ad collectionem anteriorem retulimus; obs. 17, quia graviditas 2 annos duraverat, et frustula foetus extracta sunt, non in computationem recepimus, sed inter alios casus similes rejecimus. Collectionem ita ad casus 42, quorum 24 felices et 18 infelices fuerunt, reduximus, quibus casus 23, quorum 13 felices et 10 infelices fuerunt, qui vel ab illo omissi fuerunt, vel, postquam ille suam collectionem jam finiverat, primum descripti et præterea casus infelices 8, qui fortasse ad annum 1832 pertinent, adjecimus, ita ut hæc nostræ collectionis pars casus 73, quorum 37 felices et 36 infelices, contineat.

Tota nostra collectio, quæ annos 1750—1839 amplectitur ita casus 338 (128 felices et 210 infelices) continet, quorum 100 a Michaele et Levy vel omissi vel sine jure rejecti, vel primum, eorum collectionibus perfectis, descripti sunt, qui omnes nobis sat bene affirmati visi sunt, ut de eorum certitudine dubitare vix fas sit. Mortalitas quoad matres ex

---

1) Levy l. c. p. 98-105. Aliquot horum casuum ad annos 1832 et et 39 pertinent.

hac collectione 0,62 ita evadit, ex collectione vero a Michaele et Levy instituta, quæ casus 307 (145 felices et 162 infelices) continet, 0,52; hæc posterior ita illi, quam nos invenimus, 0,10 inferior est. Constat vero, finem, qui e computatione statistica eruitur, veritati nunquam omnino congruentem habendum esse, et præsertim nullo modo si minori casuum numero nititur. Illustrissimus Poisson formulam mathematicam invenit, cujus ope error possibilis erui potest[1]). Si hæc formula vera sit error in nostra computatione 0,07 fieri puerit, ita ut ex illa hoc tantum affirmandum esset, mortalitatem sectionis Cæsareæ inter 0,55 et 0,69 esse. Infimus etiam limes nostræ mortalitatis illi mortalitati, quam invenerunt Michaelis et Levy, ita superior est, et præterea monendum est, mortalitatem sine dubio limitibus magis angustis circumscribi, quod postea ex alia disquisitione admodum verosimile videbitur.

Illa ne mortalitas omnibus temporibus eadem fuit, an sectio Cæsarea nunc, cum plurimæ terræ medicis bene instructis et expertis satis præditæ sint, cum etiam vulgus sæpius et cum majore fide auxilium medici in usum vocet, et cum ipsa ars sine dubio magis exculta sit, matribus minus funesta est? Ex collectione, quam fecerunt Michaelis et Levy, casus exstant usque ad annum

	1801,	70 fel.,	78 infel.,	unde	mortalitas	fit	0,53.
annis	1801-32:	48 —	62	—	—	—	— 0,56.
—	1833-39:	27 —	22	—	—	—	— 0,45.
		145.	162.				

Mortalitas ita nullam certam regulam sequi videtur, in seculo priori minor, initio nostri seculi paululum augetur, usque dum his proximis annis iterum valde diminuitur; varia tempora

[1]) J. Gavaret: om Lovene for Statistikens Anvendelse i Medicinen, overs. af Kayser. Kjöbenhavn 1840. Anm. A.

nullam certam vim in illam excercere videntur, quod certo sat singulare et omnino ad dubitationes de certitudine illius collectionis provocandas aptum habendum est. Ex nostra vero collectione casus exstant annis

1750—1800:	37 fel.,	80 infel.,	unde	mortalitas	fit	0,68.
1801—1832:	54 —	94	—	—	—	— 0,63.
1833—1839:	37 —	36	—	—	—	— 0,49.
	128.	210.				

Mortalitas ita sensim decrescens, pericula operationis nostris temporibus diminuta esse, testatur, quod optime cum opinionibus alias admissis congruit. Regula, quæ in hoc decremento observatur, sine dubio etiam est documentum, nos non sine justa causa collectiones anteriores modo supra commemorato mutavisse.

Eventus quoad infantes non semper notatus fuit, etiamsi longe sæpius, quam credit Michaelis, qui dicit[1]): "Im Ganzen wurden 67 Kinder lebend geboren, und 29 todt, 4 aber kamen todtschwach zur Welt. Von den übrigen fehlen die genauen Angaben." In casibus huc pertinentibus, a Levy collectis, eventus quoad foetus in casibus 46 notatus est, 39 infantes vixerunt, 7 mortui sunt. Ex autoritate illorum autorum igitur, si infantes moribundos mortuis adnumeremus, mortalitas infantum evaserit 0,27. In nostra collectione sors infantum 281 notata est, quorum 195 vivi nati sunt, et 86 vel mortui nati sunt vel brevi post partum succubuerunt; mortalitas ita evadit 0,30.

Ut antea quoad matres fecimus, ita etiam, quam vim in eventum quoad infantes variæ periodi exercuerint, investigemus. Sortem infantum 281 cognovimus. Ex annis

---

1) l. c. p. 193.

1750—1800: 78, quorum 52 vixerunt, 26 mortui fuerunt. Mortalitas ita fit 0,33.

1801—1832:	136	— 97	— 39	—	—	0,29.
1833—1839:	67	— 46	— 21	—	—	0,31.
	281	195	86			

Mortalitates infantum in variis periodis oscillationes quidem præbent, quæ vero quam levissimæ sunt, ita ut omnis conclusio de vi, quam variæ periodi in eventum quoad infantes exercuerint, omnino hypothetica sit.

Eventu generali sectionis Cæsareæ ita exposito, alia oritur quæstio summi momenti, quantum fini, ad quem pervenimus, confidendum sit? Sunt, qui usum computationum statisticarum in medicina omnino vel fere omnino condemnent, quibus respondere non ad meam rem pertinet, cum non defensor statisticæ exstiterim, sed tantum, ut alii ante me, ejus usum ad rem, quam maxime litigosam, de qua autores summi nominis judicium quam maxime diversum ferunt, dijudicandam tentare voluerim. Sunt alii, qui statisticæ medicæ faveant, sed qui numeros adeo magnos postulent, ut nullus sit locus dubitationi et incertitudini. Hisce respondendum est, collectionem diligentem observationum omnium, quæ exstant, etiamsi pauciores sint, et criticum earum usum unicam esse viam ad finem verum eruendum, illam aut ingrediendam aut totam quæstionem omittendam esse, et præterea numerum nostræ collectionis non adeo parvum esse, ut finis, qui inde erui potest, probabilitate omnino careat.

Verum usu statisticæ etiam in hoc examine permisso, num collectionis, quam nos instituimus, ea est indoles, ut fini, ad quem ducit, confidere possimus? Primum hoc affirmandum est, nos eodem studio et eadem severitate et casus felices et infelices collegisse. Utrum casus felices et infelices eadem integritate ab operatoribus divulgati sunt? An obstetrican-

tes, stulta vanitate commoti, casus, in quibus operatio successit, libentius publici juris facere voluerunt, quam infelices? Num nostro jure casus Anglicos, qui fere omnes infelices fuerunt, in computationem recepimus, an autores, qui illos excluserunt, melius egerunt? Ecce quæstiones summi momenti, de quorum solutione omnis certitudo finis, ad quem pervenimus, dependet, cujus igitur solutionem nos, licet difficillima sit, tentabimus.

In periodo seculi prioris, in quo nostra disquisitio versatur, cum ephemerides et scripta periodica multo rariora essent quam nostro seculo, sat verosimile videtur, multos casus tantum ob majorem difficultatem illos publice describendi oblivioni traditos esse. 45 casus, quos e collectione, quam instituit Baudelocque, hausimus, hujus rei exemplum exhibent; nullibi alias notati, sine dubio nobis plane incogniti essent, nisi ille eos collegisset. In nostro vero seculo copia ephemeridum et scriptorum periodicorum admodum adaucta est, facilis aditus ad illos omnibus obstetricantibus patet; si præterea operatores ipsi forsitan operationes infelices celare cupiunt, timendum est, ut monet Levy [1]), ne ab aliis divulgentur. Hisce rationibus maxime verosimilibus commoti, Michaelis [2]) et Levy [3]) casus incognitos, et felices et infelices, ex nostro seculo rarissimos esse, contendunt. Sed verosimilia non semper vera sunt.

In Gallia 101 casus sectionis Cæsareæ notati sunt, ex quibus mortalitas fit 0,63. Ex annis 1750—1800 eorum casuum 68 evenerunt, quorum 44 infelices fuerunt Cum frequentia sectionis Cæsareæ in hoc seculo haud parum increverit, exspectandum fuisset, plures casus et felices et infelices ex hoc seculo exstare; res vero aliter sese habet; ex annis 1801—39 33 tantum casus

---

1) l. c. p. 106.
2) Mich. l. c. p. 35.
3) Levy l. c. p. 105—106.

quorum 20 infelices, in Gallia notati sunt. Hæc diminutio a minore ipsius operationis frequentia dependere posse non videtur, causæ enim, quæ eam necessariam reddunt, haud rarius egerunt; aliæ operationes, quæ ejus loco adhibentur, perforatio infantis et symphysiotomia non frequentius notatæ sunt, et chirurgi hujus terræ nunc non minus operationum cupidi sunt, quam antea; obstetricantes præterea summi nominis Baudelocque, Gardien, Lachapelle, A. et P. Dubois, Moreau, Velpeau aliique sectionem Cæsaream laudarunt et in usum vocarunt, dum e contrario aliam operationem, perforationem scilicet infantis vivi, quæ imprimis ejus æmula est, plane rejciunt; sed frequentia operationis sine dubio solum diminuta videtur, quia multi casus et felices et infelices, eadem forsitan ratione, non divulgati sunt. Si causam, quare operatio in hoc seculo rarius notata est, indagare vis, scopum fortasse non attinges, mihi quidem probabile videtur, illam in eo inesse, quod versus finem seculi prioris quæstio de sectione Cæsareæ disputationibus obstetricantium experientisssimorum, Baudelocque, Lauverjat, Deleurye cæterisque ardenter pertractata et illustrata est, ita ut posteriores minus ad singulos casus divulgandos excitati fuerint. Sententiam omnino hypotheticam, quam de hac re protuli, libero lectoris arbitrio trado.

An vero casus infelices majore ratione quam felices incogniti restiterint, alia est quæstio, quam jam pertractare studebimus. Michaelis [1]) de copia ephemeridum et scriptorum periodicorum recentiore tempore adaucta, et de difficultate singulos casus celandi disputans, præsertim Germaniam respicit. Ex illius igitur sententia, collectio casuum Germanicorum ex hoc seculo præsertim ad verum sectionis Cæsareæ eventum

---

[1]) l. c. p. 35.

in lucem proferendum apta habenda est. Kilian etiam credit [1]) collectionem casuum Germanicorum tantummodo, et ex hoc quidem seculo, præsertim eventum operationis minus funestum in lucem prolaturam esse Casus Germanicos igitur percenseamus, ut ita forsitan finem ad quem antea pervenimus, corrigamus.

Ex hoc seculo casus Germanicos 125, quorum 45 felices et 80 infelices, collegimus, unde mortalitas evadit 0,64, quæ illi, quæ ex nostra collectione casuum ex aliis terris et ex hoc seculo evadit (0,52 scilicet), multo superior est. Si igitur illa assertio quam fecit Michaelis: in Germania nunquam, vel saltem rarissime casus infelices incognitos restitisse, vera est, necesse sequitur, aut in reliquis terris multos casus infelices oblivioni traditos esse, et tunc fini generali, ad quem supra pervenimus, minime confidendum est, quia eventus nimis benignus allatus est, aut operationem in Germania infeliciorem quam in reliquis terris fuisse, quod non verosimile videtur, cum nec obstetricantes, nec chirurgi Germanici cæteris cedant, nec rationes climaticæ operationes magis funestas in Germania quam alibi, reddant.

Sed assertio illa falsa est. In ipsa Germania, ubi sine dubio casus infelices majore sinceritate, quam alibi, communicati sunt, multi casus infelices incogniti restiterunt. Naegele [2]) et Wilde [3]) affirmant, sese 24 casus nullibi notatos, omnes infelices, alterum 17 et alterum 7, cognovisse, quod sine dubio

---

[1]) Kilian: die Geburtshülfe. 2ter Th. Frankfurth a. M. 1840. 8vo. p. 76. nota a.

[2]) Dissertatio de jure vitæ et necis, quod competit medicum in partu. Heidelberg 1826. p. 7. Cfr. Wilde: das weibliche Gebärunvermögen etc. Berlin 1838. 8vo. p. 109.

[3]) Ibidem.

etiam aliis obstetricantibus, qui hucusque hac de re tacuerunt, contigit. Cum uterque adhuc vigeat, vix dubitari potest, quin omnes hi casus ad hoc seculum et partim etiam ad tempus recentissimum pertineant. In nostra collectione 4 exstant casus ex hoc seculo, ab operatoribus ipsis nullibi descripti, quos vero alii omnino fortuito invenerunt, 3 scilicet infelices et 1 felicem. Nos ita 27 casus infelices et 1 tantum felicem ex hoc seculo cognovimus, quos operatores oblivioni tradiderunt, et non dubitandum est, quin multo plures ejusdem generis nobis hucusque incogniti exstent, ita ut quam maxime probabile videatur, multas sectiones Cæsareas, et imprimis multas infelices, etiam in Germania et recentiore tempore, institutas fuisse, quæ in nostra collectione non continentur, quia nullibi descripti sunt. Ex hac disquisitione etiam assertionem supra allatam, quam fecit Kilian[1]), veritati non congruere, patet.

Quæstio hic tractata, utrum casus infelices æque frequenter ac felices publice descripti sint, summi momenti est, cum tota quæstio de eventu sectionis Cæsareæ inde dependeat; omnis igitur via, per quam illa illustrari potest, ingredienda est.

Si numerus casuum sectionis Cæsareæ sub talibus conditionibus peractorum, quæ in faustum operationis eventum prohiberent, quæ operatores ad omnes casus publice describendos exhortarentur, et quæ ab altera parte retentionem singulorum casuum, v. c. infelicium, difficilem redderent, exstaret, et præsertim si hic numerus non nimis parvus esset, sperandum esset, fore, ut talis collectio ad finem veritati prope accedentem ducere posset. Sectiones Cæsareæ in nosocomiis et præsertim in clinicis obstetriciis institutæ tales conditiones præbent: commodis parturientium ibi quam optime consultum est, tractationi earum viri peritissimi præpositi sunt,

---

1) Kilian l. c.

qui rarius sine dubio tales errores committunt, qui eos ad singulos casus celandos exhortari possint; eorum autoritas nimis firma est, quam ut eventu funesto singuli cujusdam casus infringi possit; corona auditorum circumdati sunt, qui cito casus memorabiles in orbem divulgant; verosimile igitur videtur, omnes sectiones Cæsareas in illis peractas, vel saltem et felices et infelices eadem integritate, notari.

In nostra collectione 67 tales casus, quorum 14 felices et 53 infelices, notati sunt, mortalitas inde 0,79 evadit, quæ illi 0,58, ad quam ex reliqua collectione pervenimus, multo superior est, ita ut ex hac disqvisitione concludendum sit, operationes in nosocomiis institutas cæteris non parum infeliciores esse; cum vero nosocomia nullam vim specialem nocivam in puerperas sectas exercere videantur, hic finis sine dubio ex eo dependet, quod alibi multi casus infelices celentur. Michaelis [1]) simili examine ad similem finem pervenit, ex 36 casibus mortalitatem 0,70 invenit. Ille vero hunc finem non accipit, partim quia operatio ibi semper instituitur, ubi fas est, partim ob "polypragmasiam," ut dicit, in nosocomiis, quæ vim medicatricem naturæ æmulari nequit. Prima objectio omnino contra ipsum autorem militat, si enim verum est, quod nullus nego, operationem in nosocomiis semper institui, ubi fas sit, et si omnes casus, nullo eventus respectu habito, divulgantur, necesse sequitur, illa præsertim occasionem ad verum sectionis Cæsareæ eventum eruendum præbere. Cæterum ex nostra collectione patet, feminas sæpius extra nosocomia quam in illis sub conditionibus desperatis sectas esse. Quoad alteram objectionem, cujus participes sine dubio non multi sunt, ad meam rem non pertinet, artem medicam et viros illustrissimos variis nosocomiis præpositos contra hanc impugnationem defendere.

---

[1]) l. c. p. 136.

Lutetia Parisiorum similes conditiones præbet; copia ephemeridum et scriptorum periodicorum maxima est; medici casus etiam minus memorabiles litteris mandandi cupidi sunt; multæ sunt societates medicæ, quibuscum etiam casus memorabiles communicantur, ita ut parum verosimile videatur, casus vel felices vel infelices ibi celari posse. In nostro seculo (seculum prius non respicere possum, cum non plane sciam, quænam sectiones Gallicæ in illa urbe institutæ sint) sectio Cæsarea decies, et semper cum eventu funesto instituta est, etiamsi operationes sub talibus conditionibus, quæ alias eventum meliorem polliceantur, et a chirurgis experientissimis, Baudelocque, Béclard, A. et P. Dubois, Moreau, Velpeau, Baudelocque (neveu), institutæ sunt. Si mortalitas 0,57, quam reliqua nostra ex hoc seculo collectio præbet, vera esset, hic eventus sine dubio singularis esset.

Mortalitas sectionis Cæsareæ in Anglia vere immodica fuit; ex 25 operationibus una tantum mater servata est. Michaelis [1]), illos casus a cæteris sejunxit, et ex collectione statistica excludendos esse credidit, quia obstetricantes Anglici methodo exspectativæ nimis faventes, operationem præsertim in casibus desperatis instituunt. Jam supra, rationibus generalibus commoti, hanc excludendi methodum improbavimus, nunc vero, utrum in ipsis casibus Anglicis causa sit sufficiens ad illam sequendam, necne, examinemus. Ut in reliquis casibus ita in Anglicis etiam sæpius eventus tantum operationis notatus est; in 17 vero casibus tempus post initium partus, et in 9 tempus post rupturam membranarum præterlapsum etiam communicatum est. In prioribus tempus in summam fuit 1158 horæ, tempus medium ita 68 horæ, quod re vera illud tempus medium, quod ex omnibus casibus invenimus (50 horæ), longe superat. Hoc

---

1) l. c. p. 136.

augmentum temporis medii præsertim ex tribus casibus, in quibus operatio admodum procrastinata fuit, dependet; tempus medium enim hisce tribus casibus fuit 225 horæ, in cæteris 14 vero, illis tribus subtractis, tantum 30 horæ, quod tempus medium non nimium habendum est. Ob illos vero 3 casus minime omnes casus Anglici rejiciendi sunt, præsertim cum ille autor ipse ex aliis terris operationes æque procrastinatas in computationem recipiat. In 9 casibus tempus post rupturam membranarum præterlapsum notatum est, in summam fuit 252 horæ, tempus medium ita 28 horæ, illi tempori medio, quod ex omnibus casibus invenimus, parum superius, minime vero tantum, ut ulla ratio subsit ad casus Anglicos rejiciendos. Ex reliquis casibus, in quibus nullum tempus allatum est, nihil aut pro aut contra concludi potest. Nulla igitur causa illam singularem divisionem excusare videtur, cujus aptitudinem sine dubio Michaelis non plane sibi persvasam habuit, cum ille, cujus collectionem Levy plane accipit, nonnullos casus Anglicos ex seculo priore in computationem receperit, quod Levy [1]) in continuatione collectionis, quam incepit Michaelis, etiam fecit; quare factum est, ut sibi non constet, quum casus Anglicos ante annum 1801 et post annum 1833 accipiat, sed casus inter annos 1801 et 1833 excludat.

Forsitan mortalitas sectionis Cæsareæ in Anglia adeo immodica videtur, quia obstetricantes hujus terræ semper diligentissime omnes casus notaverunt.

Adhuc alia exstat causa, de qua antea tacuimus, quæ interdum mortem et matris et infantis provocat, et ita eventum hujus operationis adhuc funestiorem reddit, ruptura scilicet uteri im graviditate insequente. In nostra collectione 6 exstant casus, in quibus feminæ antea feliciter sectæ,

---

[1]) l. c. p. 101. nota.

in graviditate insequente, ruptura uteri correptæ gastrotomiam sustinuerunt. Tres illarum obierunt, tres superstites restiterunt, omnes infantes mortui sunt. Ita sectio Cæsarea, etiamsi successerit, causa gravis mortis trium feminarum et 6 infantum habenda est, quod sine dubio adhuc in multis casibus, nobis incognitis, accidit, cum nec omnes feminæ, quibus uterus in graviditate insequente ruptus est, obstetricantes peritos in auxilium vocarint, nec medici in auxilium vocati rupturam uteri semper cognoverint, nec illi, qui illam cognoverunt, casus observatos publici juris fecerint.

His omnibus rite perpensis, mortalitate scilicet majore, quam casus Germanici ex hoc seculo exhibent, copia casuum celatorum, et præsertim infelicium, eventu funesto operationis et in nosocomiis et Lutetiæ Parisiorum et in Anglia, rupturis uteri in graviditate insequente accedentibus, his omnibus rite perpensis, quæstio, quam supra proposuimus, soluta videtur; vix quisquam dubitabit, quin obstetricantes ad casus felices publici juris faciendos magis propensi fuerint, et quin mortalitas sectionis Cæsareæ numero 0,62, quam supra invenimus, non parum major sit, sed quantum? Cum solutio hujus quæstionis jam necessario omnino hypothetica sit, eam tempori futuro, remediis necessariis forsitan melius prædito, relinquo. Velpeau [1]) et alii censuerunt, mortalitatem evadere 0,67, (2 ex 3), quæ mortalitas minime nimia habenda est, cum mortalitas ex nostra collectione (0,62) quæ certo nimis parva est, non multum ab illo distet; quare etiam Levy [2]), qui illam admodum exorbitantem esse censet ("det er vist, at indrömme Skepticismen en god Deel for meget" etc.) minime assentimur; Wilde vero credit, illam 0,90 evadere, qui numerus nimius videri po-

---

1) Velpeau: Médecine opératoire. Tom. 4. Paris 1839. 8vo. p. 471.

2) l. c. p. 107.

test, etiamsi fortasse non adeo immodicus, ut credit Levy [1]) (qui dicit: "man maatte lukke Öinene for al Sandhed, for at antage det").

Mortalitate operationis ita exposita, examinemus, utrum certa quædam ratio sit inter eventum quoad matres et quoad infantes. Num operationes, quæ matribus succedunt, etiam infantibus feliciores sunt, annon? Michaelis [2]) contendit, operationem infantibus æque esse periculosam, sive matribus successerit, sive non, et ex casibus 100 quos ille collegit, non ad alium finem pervenire potuit. Ex casibus, matribus infelicibus, sortem infantum 44, quorum 15 mortui, cognovit, unde mortalitas fit 0,34; ex illis vero, qui matribus felices fuerunt, sortem infantum 56, quorum 18 mortui, cognovit, unde lethalitas fit 0,32. Hæ mortalitates ita re vera inter se differunt, sed differentia nimis parva est, ut inde quidquam pro certo concludi possit. In nostra collectione inter casus [3]) matribus lethales, sors infantum 172, quorum 55 mortui, notata est, unde mortalitas fit 0,32; inter casus felices sors infantum 103, quorum 28 mortui, notata est, unde mortalitas fit 0,27; differentia inter has mortalitates, numeris haud exiguis nisa, etiamsi parva, quodammodo probare videtur, operationes matribus lethales, etiam infantibus funestiores esse. Quæ sint causæ, quæ vim nocivam et in infantes et in matres excerceant, indagare mox studebimus.

Diuturnitas partus, longius temporis spatium post rupturam membranarum præterlapsum, conatus et quidem conatus rudes et repetiti forcipis applicandæ et versionis adhibendæ et

---

1) Ibidem.

2) l. c. p. 153.

3) Sex casus a Jolly allatos hic exclusi, quia non communicatum est, quomodo casus infantibus letales inter casus matribus faustos vel infaustos distributi fuerint.

matri et foetui summa pericula minari existimantur; quam vim in nostris casibus exercuerunt hæ causæ?

Primum monendum est, initium partus a variis autoribus modo vario determinari, quum alii illud a primis doloribus, alii a dilatatione orificii uteri computent; alii præterea numerum horarum præterlapsarum afferant, alii sectionem Cæsaream „in initio partus", (quod ego semper 6 horas post initium habui), alii nonnullis vel pluribus diebus præterlapsis, (quod ego semper 60 horas habui) institutam esse commemorent.

In 164 casibus tempus, quod ante operationem duravit partus, notatum est, quorum casuum 62 matribus felices fuerunt, qui in summam duraverunt 2953 horas, ita ut tempus medium fiat 48 horæ; in 102 casibus infelicibus tempus in summam fuit 5289, ita ut tempus medium fiat 52 horæ. Hæc tempora media non multum inter se differunt, ita ut ex hac disquisitione varia partus diuturnitas non magnam vim in eventum operationis exercere videatnr, cum tempus modo parum longius in infelicibus, quam in felicibus fuerit.

Iu illo vero numero generali casus maxime diversi commixti sunt, alii in quibus operatio 8—10 dies vel adhuc diutius post initium partus, et alii, in quibus mox in initio, femina nondum exhausta, peracta est. Mortalitatem in variis hisce casibus diversam esse, verosimile est. Ut hac de re certiores fiamus, collectionem nostram in 3 classes dividamus, quarum prima illos casus in quibus partus non diutius quam 24 horas duravit, secunda illos, in quibus inter 25 et 72 horas duravit, et tertia illos, in quibus sectio Cæsarea serius quam 72 horis post initium partus præterlapsis, instituta est, continebit. Quomodo casus felices et infelices illis classibus distributi sint, examinemus.

In 60 casibus partus non diutius quam 24 horas duravit, 20 eorum fuerunt felices, 40 infelices, mortalites ita 0,67 fit.

In 75 casibus duratio partus fuit inter horas 25 et 72, eorum 34 fuerunt felices, 41 infelices, mortalitas ita fit 0,55. In 29 casibus partus diutius quam 72 horas duravit, 8 eorum fuerunt felices, 21 infelices, mortalitas ita fit 0,72.

Mortalitates ex tribus illis classibus ita quidem inter se differunt, sed minime tali modo, ut probent, diuturnitatem partus in variis classibus certam vim in eventum operationis exercere. Mortalitas in prima classi illi parum superior est, quam ex omnibus casibus invenimus, in secunda classe diminuitur et in tertia classe iterum increscit. Oscillationes illæ mortalitatis, nos ad finem minus verum pervenisse, indicare videntur, cum admodum mirum esset, si mortalitas major esset in casibus, in quibus operatio in primis 24 horis post initium partus instituta est, quam in illis, in quibus partus inter 25 et 72 horas duravit. Ex illa tamen computatione qnodammodo concludere licet, operationem procrastinatam eventum magis funestum reddere. Si enim mortalitatem ex casibus, ad priores duas classes pertinentibus, computemus, hæc fit 0,60, quæ et illi mediæ, quam ex omnibus casibus invenimus, inferior est, et a mortalitate, quam ex tertia classe invenimus 0,72, multum discrepat. Tempus igitur, quod partus duravit, si infra 72 horas est, quantum ex nostra collectione videri potest, eventum operationis minus funestum reddit; cum e contrario duratione partus majore perniciositas operationis augeri videatur.

Quomodo diuturnitas partus in vitam infantum egit? Ex illis casibus in quibus tempus post initium partus præterlapsum notatum est, sortem infantum 158, quorum 101 vixerunt, et 57 mortui sunt, cognovimus. Tempus, quod in prioribus casibus partus in summam duravit, fuit 4452 horæ, tempus medium igitur 44 horæ; in posterioribus tempus in summam fuit 3547 horæ et tempus medium 62. Plane igitur apparet, partum in casibus infantibus infelicibus non parum

diutius duravisse quam in illis, in quibus infantes vivi nati sunt, quare etiam huic causæ efficacia non levis ad operationem infantibus funestam reddendam adscribenda est, quod alia disquisitione adhuc manifestius apparet. Hic enim etiam, ut jam antea, casus in tres classes dividamus, quarum prima illos, in quibus sectio Cæsarea in primis 24 horis post initium partus instituta est, continebit, secunda illos, in quibus inter horas 24 et 72, et tertia illos, in quibus post 72 horas instituta est.

In prima classe 58 casus exstant, quorum 42 felices sunt, ita ut mortalitas fiat 0,28, in secunda casus 72, quorum 48 felices, ita ut mortalitas fiat 0,33, et in tertia casus 28, quorum tantum 11 felices, unde mortalitas fit 0,60. Hic ita illam eruimus regulam, quam antea, cum de vi durationis partus in eventum quoad matres disputavimus, desideravimus, mortalitates variæ 0,28, 0,33, 0,60 rationem directam inter eventum quoad infantes et tempus, quod partus duravit, probare videntur, quod etiam optime cum opinionibus alias acceptis congruit.

Integritas membranarum vel tempus post rupturam præterlapsum in 112 casibus notatum est, quorum 47 matribus fuerunt felices, 65 infelices; priores in quibus membranæ 12ies integræ fuerunt, in summam 863 horas duraverunt et tempus medium ita fuit 18 horæ; posteriores, in quibus membranæ 7ies integræ fuerunt, in summam duraverunt horas 1715, tempus medium ita fuit 26 horæ. Tempus igitur medium, quod post rupturam membranarum præterlapsum in casibus felicibus invenimus, illi casuum infelicium non parum inferius est, quare etiam prognosis melior habenda est, si operatio brevi post vel etiam ante rupturam membranarum instituatur, ejus vero procrastinationi post rupturam membranarum vis quædam funesta attribuenda est.

In numero vero illo generali casus maxime diversi commixti sunt, in quibus operatio vel ante rupturam membrana-

rum vel brevi post, vel etiam post plures dies instituta est. Ut supra ita etiam hic casus in tres classes dividamus, quarum prima illos continebit, in quibus operatio vel ante rupturam vel brevi post, usque ad sex horas, instituta est, secunda illos, in quibus tempus præterlapsum inter 7—24 horas fuit, et tertia illos, in quibus tempus adhuc diutius duravit; quomodo casus inter has periodos distributi fuerint, examinemus.

Prima classis casus 39 continet, quorum 20 felices, secunda 35 casus, quorum 14 felices, tertia classis casus 38, quorum 13 felices. Mortalitas ita fit in prima classe 0,50, in secunda 0,60 et in tertia 0,66. Cum mortalitas ita sensim sensimque increscat, et in prima classe mortalitati mediæ omnium casuum haud parum inferior sit, in secunda etiam inferior et in tertia superior, sat probabile habendum est, procrastinationem operationis post rupturam membranarum eventum magis funestum reddere et id quidem ratione, quæ ipsi procrastinationi respondeat.

Finis, ad quem per hanc viam pervenimus, illi, quem antea protulimus, simillimus est, quare etiam major certitudo illi attribuenda est, et non possumus, quin illis autoribus, qui operationis post rupturam membranarum procrastinationi vim lethiferam adscribunt, assentiamur, quametsi forsitan frequentiam et efficaciam hujus rei nimis extulerunt.

Quamnam vim in eventum quoad infantes procrastinatio operationis post rupturam membranarum exercet? Ex illis casibus, in quibus tempus post rupturam membranarum præterlapsum notatum est, sors infantum quoque 106 allata est, quorum 76 vixerunt, in quibus casibus tempus in summam fuit 1448 horæ, tempus medium ita 19 horæ; 30 vero obierunt, in quibus casibus tempus in summam fuit 1130 horæ, tempus medium ita 38 horæ. Spatium igitur temporis post rupturam membranarum præterlapsi haud parum longius fuit in illis

casibus, in quibus infantes mortui sunt, quare huic rei vis quædam infantibus lethifera negari non potest. Per aliam viam ad eundem finem pervenimus. Hic etiam ut supra casus in varias classes dividamus. Ex 37 casibus, in quibus operatio vel membranis integris, vel intra 6 horas post rupturam membranarum instituta est, et in quibus sors infantum notata est, 5 tantum infantes mortui sunt, unde mortalitas fit 0,14; ex casibus 32, in quibus operatio intra horas 7 et 24 post rupturam membranarum instituta est, 7 infantes obierunt, unde mortalitas fit 0,22; ex casibus 37, in quibus operatio post 24 horas instituta est, 18 infantes obierunt, unde mortalitas fit 0,49. Mortalitas infantum ita in variis classibus increscens (0,14—0, 22—0,49) finem, ad quem nuperrime pervenimus, affirmat, ut vix dubitari possit, quin procrastinatio operationis post rupturam membranarum infantibus quam perniciosissima sit.

Michaelis [1]) vim durationis partus et temporis post rupturam membranarum præterlapsi in eventum quoad matres et infantes disquirens, numeris modo parvis nitens, ad finem nostro simillimum pervenit, durationem scilicet partus non magnam vim in mortem matris exercere, spatium temporis vero post rupturam membranarum præterlapsi magni momenti esse in eventum et quoad matres et quoad infantes.

In casibus 32 versio vel applicatio forcipis, et in nonnullis præterea perforatio, antequam sectio Cæsarea instituta est, adhibitæ sunt, in quibus casibus matres 21 obierunt, ita ut mortalitas fiat 0,66; in 28 casibus, in quibus eventus quoad infantes quoque notatus est, 23 infantes obierunt, ita ut mortalitas fiat 0,82. Hæ operationes ita non magnam vim in eventum quoad matres exercere videntur, infantibus vero perniciosissimæ sunt, ad

---

[1]) l. c. p. 158—60.

quem finem etiam Michaelis, eventum sectionis Cæsareæ quoad infantes ex paucissimis casibus computans, pervenit.

Inter causas, quæ talem coarctationem pelvis, ut sectio Cæsarea necessaria fiat, producant, principem locum tenent rhachitis et osteomalacia, morbi variæ indolis, quorum anatomia pathologica diversa est, et quorum alter ætati infantili præsertim infestus est, versus pubertatem vel etiam prius resolvitur, resolutus constitutioni nullum damnum infert, illis quidem ossium deformationibus exceptis, quæ sæpe remanent et functiones organorum interdum perturbant, alter vero in ætate provectiore exoritur, sensim sensimque increscit et summa incommoda secum fert; extremitates scilicet inferiores sæpissime paralysi affliguntur, ægrotæ per seriem mensium vel etiam per annos lectum tenere coguntur, corpus summe emaciatur, cæteraque. In 101 casibus matres in infantia rhachitide laboraverunt, unde deformationes ossium majores vel minores remanserunt, post sectionem Cæsaream in his casibus peractam 61 feminæ obierunt, 40 vero servatæ sunt, mortalitas ita fit 0,60. In 51 casibus, in quibus osteomalacia fuit causa coarctationis pelvis, matres 35 obierunt, 16 superstites restiterunt, unde mortalitas evadit 0,69, quæ major est illa, quam ex operationibus in matribus rhachiticis peractis invenimus, unde verosimile fit, osteomalaciam revera sectionem Cæsaream matribus parum funestiorem reddere, multo vero minus quam nonnulli autores [1]) crediderunt. In aliis 19 casibus tumores ossei, stricturæ vaginæ etc. sectionem Cæsaream necessariam reddiderunt, ex hisce 13 feminæ obierunt, ut mortalitas ita etiam fiat 0,69.

Michaelis [2]) contendit, operationem illis feminis minus periculosam esse, quæ eam jam semel sustinuerunt. Quousque

---

[1]) Michaelis l. c. p. 147.

[2]) l. c. p. 213.

hæc opinio accipienda sit, examinemus. Sectio Cæsarea in 17 casibus in feminis jam antea sectis repetita est, ex hisce modo 5 feminæ obierunt, mortalitas ita tantummodo 0,29 evadit, et ita illi admodum inferior est, quam antea ex omnibus casibus invenimus. Hic interea monendum est, et casus nimis paucos esse, quam ut fini ex illis computato plane confidendum sit, et præterea autores, ut in universum magis ad casus felices describendos propensi fuerunt, sic etiam sine dubio libentius repetitas sectiones felices quam infelices publici juris fecisse, quod quidem casus a Le Maitre et Rouvin descripti probare videntur, qui illos tantum communicarunt, quia successus secundorum et tertiæ operationis animos eorum cepit.

Multi autores, qui de sectione Cæsarea scripserunt, vario loco, ubi incisio externa facta est, magnam vim attribuerunt. Alii, et recentiores quidem, crediderunt, incisionem in linea alba præsertim matri esse salutarem, alii incisiones longitudinales in lateribus abdominis prætulerunt, et ita porro suam quisque autor methodum vel ob rationes hypotheticas, vel quia in paucis casibus successit, defendit. Si nostram collectionem consulimus, plane apparet, plurimos autores incisionem vel in ipsa linea alba vel prope eam prætulisse, nonnullos etiam, præsertim e seculo priori, incisionem lateralem adhibuisse, cæteras vero methodos modo rarissime adhibitas esse. In casibus enim 203 locus, ubi incisio externa facta est, magis vel minus accurate notatus est; in 147 casibus, quorum 83 lethales fuerunt, incisio aut in ipsa linea alba aut prope eam instituta est; in 35 casibus, quorum 25 lethales, incisio lateralis longitudinalis adhibita est, et in cæteris 21 casibus, quorum 13 lethales, incisio vel transversa, vel obliqua, vel diagonalis adhibita est. Mortalitas ita ex casibus, in quibus incisio in linea alba facta est, fit 0,56, quæ illi mediæ, quam ex omnibus casibus invenimus, inferior est; ex casibus cæteris mortalitas fit 0,68. Cum illi

casus, in quibus incisio in linea alba facta est, in tanto numero adsint, ut inde cum nonnulla verosimilitate aliquid concludi posse videatur, illa incisio, quam plurimi autores recentiores etiam fere semper in usum vocant, optima habenda est; ad quem finem Michaelis etiam, ut videtur, pervenit, qui interea 54 tantum casus, quorum 32 lethales, cognovit [1]).

In 38 casibus, quorum 25 infelices fuerunt, hæmorrhagia gravis vel gravissima aut sub ipsa operatione aut brevi post exorta est; et in 10 aliis casibus extravasatum vel coagula sangvinea sectione cadaverum inventa sunt. Ex hisce casibus ita mortalitas fit 0,72, quæ illam mediam ex omnibus casibus computatam nonnihil excedit, ita ut hæc complicatio, quantum ex paucis casibus, in quibus adfuit, concludi potest, nonnullam vim in mortem matrum exercuerit.

Prolapsus intestinorum in 57 casibus, quorum 38 infelices, notatus est, mortalitas ex hisce casibus nimis paucis fit 0,67, et ita mortalitati generali parum modo superior est, ita ut hæc complicatio non magnam vim in eventum operationis exercere videatur.

Cum Stein jun. causam gravissimam mortis matrum in nimia pelvis coarctatione invenire crediderit, vim hujus causæ in eventum sectionis Cæsareæ examinavi. Cum in illis casibus, in quibus osteomalacia, tumores ossei, vel aliæ causæ operationem necessariam reddiderunt, coarctatio pelvis raro accurate relata sit, et cum in illis casibus una diameter rarius gradum coarctationis indicet, pelves rhachiticas et diametrum quidem conjugatam solas respexi. In 82 casibus mensura hujus diametri relata est; illa fuit:

in casibus felicibus	in casibus infelicibus
0 infra 1 poll.	2 infra 1 poll.

---

1) l. c. p. 166 et 171.

in casibus felicibus	in casibus infelicibus
4 infra $1\frac{1}{2}$ poll.	5 infra $1\frac{1}{2}$ poll.
13 infra 2 poll.	8 infra 2 poll.
17 supra 2 poll.	33 supra 2 poll.

Mortalitas ex casibus 32, in quibus diameter conjugata vel 2 pollices vel minus mensa est, ita fit 0,47, dum e contrario ex illis 50 casibus, in quibus diameter conjugata magis quam 2 poll. mensa est, mortalitas 0,66 evadit. Assertio Steinii sic minime nostra collectione affirmatur, cum mortalitas e contrario non parum minor in illis casibus fuerit, in quibus pelvis coarctatior fuit; sed nostri casus etiam pauciores sunt, quam ut inde quidquam pro certo concludi possit. Suspicatus sum, mortalitatem in priore classe forsitan minorem esse, quia obstetricantes rarius in casibus, in quibus coarctatio adeo notabilis fuit, hæsitarunt, sed mature operationem instituerunt, hæc opinio vero minime computatione casuum ad utramque classim pertinentium, quam institui, probatur.

Num ætas puerperarum in eventum operationis vim exercuit? Operatio instituta est

feliciter	infeliciter
in 2 feminis infra 20 annos,	in 1 femina infra 20 annos,
- 19 fem. infra 30 ann.	- 41 fem. infra 30 ann.
- 29 fem. infra 40 ann.	- 33 fem. infra 40 ann.
- 4 fem. supra 40 ann.	- 8 fem. supra 40 annos.

Mortalitas ita in casibus 63, in quibus operatio in feminis nondum magis quam 30 annos natis instituta est, fit 0,67, in illis 74 vero, in quibus feminæ ætate provectiores fuerunt, tantum 0,56, ita ut ex his casibus, quorum numerus quidem non magnus est, verosimile fit, ætatem feminarum provectiorem operationem minus funestam reddere.

Jam ita quam vim variæ res, quæ vel ante operationem adfuerunt, (operatio antea in eadem femina instituta, ætas,

coarctatio pelvis, rhachitis et osteomalacia, duratio partus, tempus post rupturam membranarum præterlapsum, operationes obstetriciæ antea tentatæ) vel quæ ipsæ sequelæ operationis sunt, (hæmorrhagiæ scilicet, prolapsum intestinorum vel omenti), in eventum operationis exercuerint, perquisimus; quinam vero est finis harum disquisitionum? Etiamsi illæ causæ, quas nuperrime commemoravimus, omnes vim quandam in eventum operationis exercent, hæc tamen vis in nullis (excepta quidem sectione Cæsarea jam antea in eadem femina instituta) adeo conspicua fuit, ut illi præsertim salus vel mors puerperæ attribui potuerit. Plura elementa causalia simul agunt, et a concursu eorum eventus operationis dependet. Si qvis, ut de feminis jam antea sectis taceamus, sectionem Cæsaream in femina exempli gratia, quæ in infantia rhachitide, jam diu resoluta, affecta fuit, membranis vel nondum vel nuperrime ruptis, nullis rudibus et ineptis obstetricium et obstetricantium conatibus vexata, incisione in linea alba instituere velit, si operationem sine complicationibus peregerit etc., spes de salute matris nonnihil major erit, quam si sectio Cæsarea in femina, quæ osteomalacia v. c. correpta est, membranis jam diu ruptis, conatibus versionis et applicationis forcipis rudibus vexata, intensitate et diuturnitate dolorum ad partum exhausta est, etc. etc., instituitur, etiamsi minime exempla desunt, in quibus operatio sub conditionibus quam maxime desperatis optime successit, dum e contrario in casibus, omnibus rationibus eventum salutarem promittentibus, omnino spem fefellit.

Ut disquisitiones supra allatas institueremus, necesse fuit, varias casuum classes construere, quæ ex illis casibus, qui certa quadam ratione similes fuerunt, compositæ sunt, Si mortalitates earum classium, quæ magis quam 100 casus continent (cæteras ut nimis parvas omittemus), et in qui-

bus nullæ res speciales in eventum egerunt, percenseamus, mortalitatem habebimus ex

275 casibus, in quibus sors infantum notata fuit 0,63
164 — - — temporis spatium post initium partus præterlapsum notatum fuit 0,62
111 — - — temporis spatium post rupturam membranarum notatum fuit . . . 0,59
203 — - — locus incisionis allatus fuit 0,59
137 — - — ætas puerperæ notata fuit 0,60
171 — - — causa coarctationis 0,64
125, qui in Germania evenerunt 0,64
101, — - Gallia — 0,63

Cum hæ classes inter se maxime diversæ et variis casibus instructæ omnes mortalitatem similem proferant, sine dubio probabile videtur, mortalitatem sectionis Cæsareæ singulari modo constare et limitibus magis angustis quam illis, quas supra ope formulæ, quam invenit Poisson, eruimus, circumscribi, et cum mortalitas eorum media 0,62 fiat, eadem, quam supra computatione directa omnium casuum invenimus, hujus certitudo admodum affirmatur, quousque vera sectionis Cæsareæ mortalitas ex nostra collectione erui potest, quod vero fieri non posse, quia sine dubio casus infelices majore ratione quam felices ab operatoribus non descripti fuerunt, probare, jam supra studuimus.

Cui causæ mors feminarum post sectionem Cæsaream adscribenda est? — In multis casibus mors puerperæ tantummodo relata est sine ulla indicatione causæ mortis, de hisce igitur hic tacendum est; in aliis vero vel ea, quæ sectione cadaveris inventa sunt, vel symptomata, quibus puerpera succubuit, communicata sunt. In illis casibus, in quibus symptomatis nervosis (statu collapsus, spasmis, vomitu, meteorismo, delirio etc.) correptæ, puerperæ obierunt, et nulla alia

symptomata allata sunt, nulla sectio instituta est, vel nihil sectione inventum est, semper illa symptomata nervosa causam mortis habui, si vero aut inflammatio organorum abdominis, quametsi levissimo gradu, etiam commemorata vel sectione inventa est, aut alia mortis causa, ut extravasatum et coagula sangvinea in cavo abdominis vel pelvis, hæmorrhagia externa etc., hanc læsionem semper, nullo respectu ad symptomata nervosa habito, principalem habui. Ad inflammationem etiam omnes ejus sequelas, exsudatum, concretiones, collectiones puris, gangrænam retuli.

In 123 casibus causa mortis magis vel minus accurate communicata est; 77 feminæ inflammationi ejusque sequelis succubuerunt, 29 symptomatis nervosis; in 10 casibus extravasatum et coagula sangvinea inventa sunt; 2 feminæ hæmorrhagia externa obierunt, 2 inflammatione pectoris correptæ, 1 ruptura uteri et hæmorrhagia gravi septimo die accedentibus, 1 osteomalacia progrediente, et 1 fere in ipsa operatione (24 minutis præterlapsis). Patet ita inflammationem causam mortis frequentissimam esse, cum frequentia ejus fit 0,63, status vero nervosi 0,24 tantummodo.

Quonam die post operationem peractam mors accessit? — Præter 1 casum, in quo puerpera operatione nuperrime peracta obiit, in 9 casibus brevi post operationem (6 horis nondum præterlapsis) defunctæ sunt, in quorum 2 causa mortis fuit symptomata nervosa, in aliis 2 extravasatum et coagula sangvinea, in 1 gangræna superficialis uteri, et in 4 nulla causa allata est. In 16 casibus feminæ inter 6 et 24 horas post operationem obierunt, quinquies inflammatione, ter symptomatis nervosis, ter hæmorrhagia interna secundaria correptæ; in 5 casibus nulla causa mortis allata est. In temporis spatio inter 1 et 7 dies 108 feminæ succubuerunt, et in illo inter 8 et 21 dies 16; præterea 1 die 30mo et 1 36to, prior osteomalacia increscente et posterior perforationibus intesti-

norum, extravasato fæculento et amplis collectionibus purulentis correpta.

Morbi ita, qui sectionem Cæsaream seqvuntur et puerperas necant, quam acutissime decurrunt, cum longe plurimæ feminæ in prima hebdomade obierint, quare etiam illæ sequelæ, quæ post alias operationes magnas mortem provocant, suppuratio largissima, febris hectica, phlebitis etc. hic fere nunquam inveniuntur.

Adhuc nobis restaret, quomodo cicatrices post operationem formentur etc. etc. exponere: sed cum plurimæ observationes hoc respectu quam maxime mancæ sint, ita ut vix elementa ad hanc quæstionem ex omnibus partibus explicandam exstent, et cum præterea Michaelis omnia, quæ hac de re apud autores inveniuntur, quam diligentissime collegerit, ut equidem nil novi adjicere possim, lectorem benevolum hac de re ad librum Michaelis transmittam.
